Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Abraham Cowley

Abrahami Couleii Poetae Angli Plantarum Libri Sex

Ob Raritatem Et Praestantiam Denuo Editi, Basileae: Schweighauser, 1793

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0001
DFG

J. Roeper,

Bibliothecae acad. dono dedit a. 1876.

Nc_3006.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0002
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn833260677/phys_0003
DFG

Lc. 111.

ABRAHAMI COULEII

POETAE ANGLI

PLANTARUM

LIBRI SEX

OB RARITATEM ET PRAESTANTIAM

DENUO EDITI.

Bibliothecae acad. Rostock. d. D. J. Koepe.

— *habeo quod Carmine sanet et herbis.*
OVID. Met. 10.



BASILEAE
Typis JOANNIS SCHWEIGHAUSER.
1793.

Nc_3006.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn833260677/phys_0006
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

DE VITA ET SCRIPTIS

ABRAHAMI COULEII,

MARTINO CLIFFORDO, SUO,

T. SPRAT, S.

En Plantarum libri Couleii tui, viri eruditione & ſcriptis, ſed vita maxime memorabilis. Pauca quædam de Authore ipſo præmittenda cenſui: quæ debentur certe tanto hominis vel ingenio, vel modeſtiæ. Hæc tu optime omnium poſſies, qui eum per triginta annos familiariſſime noras, & ſumme ſemper colueras. Sed tu ab omni ſcriptione abhorres; faſtidio forſan non injuſto, ſcriptorum hujus ævi multitudini & incuriæ infenſus. Quam igitur provinciam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0007
DFG

tu refugis, ego suscipio: eo certe lubentius quod de Couleio dicenti, nemini potest deesse vel materia, vel oratio. Tu interim da veniam, ut de communi amico scribens, memoriam tuam, & fidem appellem: ut si minus stylo tuo & ingenio, testimonii tamen & judicii tui fama, vir magnus posteris commendetur.

Abrahamus Couleius Londini natus est, anno millesimo sexcentesimo decimo octavo. Parentibus ortus est honestis, civibus Londinensibus: nactus conditionem fortunæ parem animo, qui nunquam immoderata, aut nimis alta appetebat. Prima ætate institutus est in Regio Gymnasio Westmonasteriensi; cujus loci nobilissimum genium ornavit, & auxit. Vixdum decennis Poeta factus est, legendo Spencero nostrate, scriptore sane illustri, & vel adultis difficili: sed Couleii ingenium magnitudine animi, non annis æstimandum. Innutritus est in antiquis omnibus authoribus, quos non solum memoria tenuit, sed judicio probavit, & usu perenni familiares sibi reddidit. Puer adhuc multa edidit, quæ viri cum fructu legerent, & imitarentur. His initiis celebris Cantabrigiam concessit: ibique inter æquales citissime inclaruit, & in florentissimo S. Trinitatis Collegio admirabili profectu adolevit. Exercitia scholastica romano foro, & Ciceronis auribus digna. Matura

ſupra fidem indoles, nec tamen præcox. Mire feſtiſtinavit: ſed pariter duravit.

Flagrante bello civili, pro regiis partibus ſtetit, & Oxonium ſe contulit: quam urbem rex optimus rerum ſuarum caput, & ſedem belli delegerat. Illic inter arma per biennium ſtudiis fœliciſſime floruit; militiæ interea non immunis. Mature in notitiam principum virorum venit. Inter alios nobiliſſimo, doctiſſimoque Falklandio, Regi a ſecretis, familiariter uſus eſt. Eam conſuetudinem ſimilitudo ſtudiorum, & animorum, conciliaverat.

In familiam illuſtriſſimi Comitis Sancti Albani adſcitus, Reginam Mariam, regno per nefas extorrem, in Galliam ſecutus eſt. Invitus e ſchola tranſiit in aulam: mutavit curſum vitæ, non vitam; vixit comitate, facilitate, humanitate aulica, probitate, diligentia, innocentia philoſophica. Pariſiis per duodecim annos plurima obiit negotia graviſſima, ad Caroli utriusque ſalutem ſpectantia. Illud præcipuum induſtriæ ejus & fidei erga regiam familiam exemplum, quod commercium epiſtolarum inter Carolum primum & Reginam uxorem per quinquennium adminiſtravit: literas fere omnes, quæ nunc extant, hinc illinc miſſas, manu propria deſcribens.

Tandem in patriam miſſus tyrannide oppreſſam,

vix injurias istorum temporum evasit. Paucis dein mensibus libertate mulctatus, aliquando dimissus est, vadimonio facto, & fama ingenii, quod etiam apud hostes infensissimos valuit. Paulo post sub Cromvellii mortem in Galliam regressus, eodem quo olim munere functus est, usque ad auspicatissimum CAROLI secundi reditum. Rebus patriæ in melius cedentibus & pace stabilita, a vita actuosa & exercitata, ad privatam & tranquillam se recepit: non quidem animi imbecillitate, sed judicio. Penitus enim perspexerat universam rerum humanarum pompam, & expertus comtempserat.

Circa id tempus fortuna satis ampla auctus est, munificentia Ducis Buckinghamii, & Comitis Sancti Albani: quibus per omnem ætatem charissimus erat, quosque vicissim summa cum observantia suspiciebat. Hoc viatico instructus, pro meritis tanti viri exiguo sane, pro animi vero temperantia satis magno; ardentius jam urgebat institutum illud suum, quod olim destinaverat, exeundi ex hominum cœtu, & tumultu, & vivendi aliquando in otio cum dignitate. Octo extremis annis ut plurimum rure delituit. Urbem & aulam rarissime revisit, idque non tanquam incola sed hospes. In amœnissima Thamesis ripa, vitæ curis & ærumnis solutus, totus amicis & severioribus literis vacavit. Musas etiam una in

solitudinem comites adduxit: sed & simul Eremitas fecit Deoque consecravit.

Opera ejus universa vix quidem sub una forma aut charactere comprehendi possunt. Ita temporibus, & materiis, & stylis differunt. Multa edidit adolescens, multa academicus, multa aulicus, multa privatus, domi forisque multa. Omnia tamen eodem animi tenore, vitæ suæ simillima, candida, honesta, decora, numerosa, sine morositate gravia, sine levitate jucunda. In utraque lingua plurima scripsit, latina & vernacula; illa inter veteres, hac inter recentiores princeps judicandus. Soluta oratione, & metris pariter excelluit: in utroque genere facillimus lectori, imitatori non ita. Argumenta omnimoda tractavit, faceta, amatoria, moralia, divina. Semper quid deceret, & quid esset satis, optime novit. Nullam unquam materiam, nec lectorem lassavit. Judicares eum semper plura dicere posse, sed nolle. In verbis nec curiosus admodum, nec nimium negligens. Communibus & usitatis contentus pauciſſima aut immutavit aut innovavit. Rem præcipue spectabat, in eaque immorabatur. Inventione copiosus, lucidus ordine, accuratissimus judicio. Genere dicendi grandis, tenuis, temperatus, pro cujusque rei natura & decore.

De amoribus lusit, Ovidii & Catulli facilitate, &

ingenio, modestia sua. Quod Horatius ipse fieri posse desperavit, Pindarum æmulatus est. Hujus vehementiam, & majestatem verborum & sententiarum, & beatissimam figurarum copiam fœliciter expressit: versu inæquali, & solutæ orationi proximo; ideoque argumentis omnibus, & usibus vitæ maxime accommodato. Antiquorum poetarum difficillimos & ingeniosissimos locos reddidit, lingua diversa, spiritu & animo vel eodem, vel majori. Inchoavit divinum poema, & in rege Davide celebrando, Davidem poetam imitatus est. Multas sanctæ scripturæ historias illustravit, versu, & furore cœlesti. Ut mihi quidem videtur, in aliis materiis cæteros fere omnes vicit, in sacra poesi seipsum. Multiplicia alia absolvit argumenta. De rebus philosophicis, de bonorum laudibus, de regia causa, de tyrannide Cromvellii, de officiis, de animi tranquillitate, & moderatione, facundissime disseruit. Quæ omnia apud nostrates in deliciis habentur.

Latini sermonis nativam habuit; non adscitam suavitatem. Numeros prope omnes romanorum poetarum, & diversissimos versuum colores attigit: quod ne ipsi quidem veteres fecerunt; quorum singuli unam aut alteram poeseos figuram sepposuerunt sibi, in eaque præcipue elaborarunt, desperatione cæteras consequendi. Scripsit sex libros plantarum: argumentum novum sane, sed infinitum pene, & ipsa

copia difficillimum. Horum primi duo oratione sunt modica & molli, ut elegos decet, sed ingenio vegeto & forti. In duobus proximis Horatii omnia carmina, & numerosam fœlicitatem effinxit. Cujus summi authoris non solum Epoda, sed & Epistolas & Sermones imitatus est, facetissimum omnium antiquorum scribendi genus. In duobus postremis pede heroico usus est; &, absit verbo invidia, si non Virgilium, cæteros certe omnes superavit. Horum ultimum patriæ suæ laudibus dicavit. In eo etenim civiles Angliæ tumultus, Caroli primi calamitates, secundi reditum, & initia nuperi belli navalis cecinit; ingenio pari virtuti, & fortitudini Anglorum.

Hæc de scriptis ejus: de vita majora dicenda sunt. Habuit quidem perfectam naturalem bonitatem, nec variis quos subiit fortunæ casibus, nec aulicis artibus, aut exteris corruptam, aut mutatam. Moribus erat rectissimis, integerrimisque. Sui temporis ingeniosissimus, nec inde deterior, nec insolentior factus est. Poeta maximus, sed positus supra ipsius poeseos vitia, & ineptias. Nullo fastu, nulla vanitate, nulla adulatione: quo nil majus, aut inusitatius dici potest.

In doctrina ejus & ingenio multa singularia; in victu, habitu, aut gestu nihil. Artibus omnibus præ-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0013
DFG

ditus, nullo artificio, aut astutia vixit. Neminem unquam aut verbo aut facto læsit. Cum nemine pro fama aut pecunia contendit. Nullius laudes arripuit sibi, aut impedivit. Quorum mores aut scripta minus probabat, eos non vituperando, aut illudendo, sed monendo, favendo, & etiam laudando corrigebat. Modestia tanta, ut simulationem dixisses, ni cæteras virtutes omnes pares habuisset.

Privata omnia & publica officia sua magna cum fide & industria præstitit. Matrem lectissimam fœminam per omnem vitam, charissimam observavit, quam octogenariam demum amisit. Tres fratres admodum dilexit, quorum unicum superstitem hæredem suum moriens scripsit. Inter suos omnes maximam semper obtinuit autoritatem, non imperio, aut severitate, sed comitate partam. Poetarum nostratium, difficillimi hominum generis, invidiam, aut obtrectationem nec meruit, nec habuit. Amicitias religiosissime coluit. Quibus in pueritia & condiscipulatu assueverat, eos ad mortem usque familiarissimos retinuit.

Immensa erat disciplinarum omnium & scientiarum supellectile instructus, nec tamen impeditus. Magnus animus sine tumore: doctissimus sine asperitate, aut affectatione. Ingenium & sibi facile, & aliis: nec partu laboriosum, nec auditu. Nil unquam operum

suorum recitavit, nisi amicissimis, & coactus. Nunquam nisi familiarissimis suis poetam se esse ostendit. Aliis omnibus, nemo comior & commodior ad omnem rationem humanitatis.

In sermone nec magnitudo rerum facetiis exclusa, nec hilaritas gravitate. Nemo ab eo nisi invitus discessit. Consuetudine erat ea, quæ certe optima censenda est: quam scilicet amicissimi, magis quam alieni, adamarunt, & mirati sunt. Nemini unquam se subito venditabat. Nullius unquam plausus captabat: contentus bonorum honesta opinione, a blandimentis & encomiis abhorrebat.

Cum summa animi moderatione & suas res curabat, & aliorum respiciebat. Tum in prosperis, tum adversis similis & constans sibi. Animus nunquam aut supra, aut infra conditionem. Nunquam præsentem vitam futurorum spe anxiam reddidit. Domesticis ejus facultatibus, & ipse, & amici liberalissime utebantur. Mores suos & vitam privatam, non aliorum opinionibus aut rumoribus, sed nativa honestate regebat. Religionem veritus est & amplexus, non disputandi, aut ostentandi se causa, sed vivendi. Dignus certe splendidiore fortuna. Negotiis omnibus vel gravissimis idoneus, si ipse se idoneum existimasset.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0015
DFG

In longo illo extremæ ætatis feceſſu, otium quod habuit, naturæ arcanis Deique operibus impendit. Ad naturæ myſteria accedebat, ut primi illi antiquitatis heroes, ſcientiarum inventores, qui tum poetæ tum philoſophi extiterunt. Inſtructus eſt tam judicio, diligentia & methodo, ad eam inveſtigandam, quam ingenio ad ornandam.

Præter hanc naturæ indagationem, quam perpetuo urgebat, ad præterita ſtudia ſua, hortatu noſtro reſpiciens, de ſtylo ſcribere aggreſſus eſt. Quo in libro univerſam veterum & recentium ſcriptorum cenſuram, & comparationem inſtituebat: proculdubio par tam ingenti argumento futurus. Sed vix incœptum reliquit. Et nunc certe perfectio tantæ rei in poſterum deſperanda eſt, niſi eam tu ipſe vir doctiſſime ſuſceperis.

Ultimum ejus conatuum mortalium erat diſſertatio de doctrina & uſu chriſtiano, puro, antiquo, primigenio. Propoſuerat ſibi, poſita omni factione, & partium ſtudio, vetera omnia repetere quæ ad religionem noſtram pertinent, eaque chriſtiano orbi exhibere. Quo in opere quod non fuerit ulterius progreſſus, magno ſane accidit eccleſiæ damno. A quo enim alio fas eſſet expectare primævam veritatem, quam ab animo primæva innocentia, & pietate imbuto?

Verum hæc & ſimilia meditans e vita exceſſit: cœlo non ætate, ſed ſtudiis, & cogitationibus maturus. Initio ſuperioris anni, inciderat in morbum, quem Medici Diabeten appellant. Hoc cum tres circiter menſes laboraſſet, leviora ſymtomata fieri cœperunt, & ſanari videbatur. Sed media æſtate, inter meſſores nimium diu ſpatiatus, novo morbo correptus eſt. Rem ipſe primo contempſit, ut levem, & cui remedia facilia proponebantur. Sed ingraveſcente indies morbo; ſero tandem Medici accerſuntur. Atque ita non multo poſt tempore, pectoris & gutturis dolore, conſumptus eſt.

O vana hominum deſideria, & fragiles ſpes! nam quamdiu ambitione, & officiis politicis Couleii vita diſtricta eſt, quam ille vix vitam quidem ſuam reputabat; tamdiu proſperrima valetudine utebatur. Cum primum autem vivere jam cœperat, & ſeipſo frui, ejus omnia vitæ conſilia, diuturnus primo morbus, dein mors ipſa pervertit. Sed fatum illud immaturum ipſius gratia lugere deſinamus, ne conditionem ejus caducam, fœliciter immutatam, non ſatis grato animo interpretari videamur. Noſtro potius detrimento doleamus: qui in uno homine ſummas naturæ & artium dotes, ſuaviſſimam conſuetudinem, humaniſſimos mores, divinum ingenium, virtutum omnium exemplar ingens, & præconem diſertiſſimum amiſimus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0017
DFG

Elatus est ex ædibus Ducis Buckinghamii, non nimia pompa, sed multo officio funeris: comitantibus plurimis nobilibus, & claris viris, mœrentibus doctis, & bonis omnibus. Sepultus est in templo Westmonasterienſi, regum monumento. Situs est juxta Chaucerum, & Spencerum, magna inter Anglos poetarum nomina. Sed non tam ſcriptoribus vetuſtis anglicanis, quam veræ antiquitatis romanis græcisque annumerandus est.

Habes, vir optime, quæ de Couleio noſtro præfanda duxi. Plura de eo ſcribere ſupervacaneum est. Minime quidem eget alterius præconio, divinis ingenii ſui monumentis immortalitatem conſecutus. Nos interim, non ſolum ſcriptis ejus, ſed virtutibus fruamur; & tanti viri memoriam, & amicitiam perpetua benevolentia proſequamur.

Vale.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0018
DFG

AD

CELEBERRIMUM COLLEGIUM

S. S. TRINITATIS

IN ILLUSTRISSIMA ACADEMIA CANTABRIGIENSI.

Sancta mihi ſemper nutrix, & ad ubera cujus
Jam redeo nimium dulcia pene ſenex,
Accipe parva libens horti plantaria noſtri,
Ingenii ſicco pauperis orta ſolo.
Uberiora quidem, cultrix doctiſſima, ferre
Debuit illa tua conſita terra manu.
Debuit, at ſacri pars infœcunda laboris,
Pars (pudet o) tibi nos inficianda ſumus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0019
DFG

Sed tribulos, loliumque, & viles inter avenas
Si reperis frugis germina pauca bonæ,
Hæc mea sunt, dicis; hæc olim semina cultæ
Mandavi terræ; cætera sponte tulit.

EPITAPHIUM.

EPITAPHIUM.

VIVI AUTORIS.

Hic, o viator, sub lare parvulo
COULEIUS hic est conditus, hic jacet,
Defunctus humani laboris
Sorte, supervacuaque vita.
Non indecora pauperie nitens,
Et non inerti nobilis otio,
Vanoque dilectis popello
Divitiis animosus hostis.
Possis ut illum dicere mortuum,
En terra jam nunc quantula sufficit?
Exempta sit curis, viator,
Terra sit illa levis, precare.
Hic sparge flores, sparge breves rosas,
Nam vita gaudet mortua floribus,
Herbisque odoratis corona
Vatis adhuc cinerem calentem.

ABRAHAMUS COWLEIUS
ANGLORUM PINDARUS, FLACCUS, MARO,
DELICIAE, DECUS, DESIDERIUM AEVI SUI,
HIC JUXTA SITUS EST.

Aurea dum volitant late tua ſcripta per orbem,
Et fama æternum vivis, divine Poeta;
Hic placida jaceas requie; cuſtodiat urnam
Cana fides, vigilentque perenni lampade Muſæ.
Sit ſacer iſte locus, nec quis temerarius auſit
Sacrilega turbare manu venerabile buſtum.
Intacti maneant, maneant per ſæcula dulcis
Cowlei cineres, ſerventque immobile ſaxum.

SIC VOVET
VOTUMQUE SUUM APUD POSTEROS SACRATUM
ESSE VOLUIT
QUI VIRO INCOMPARABILI POSUIT SEPULCHRALE
MARMOR
GEORGIUS DUX BUCKINGHAMIAE.

Exceſſit e vita an. ætat. 49. & honorifica pompa elatus ex ædibus Buckinghamianis, viris illuſtribus omnium ordinum exſequias celebrantibus, ſepultus eſt die 3. m. Auguſti A. D. 1667.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0022
DFG

PRÆFATIO
AUTHORIS,
DUOBUS PRIMIS
PLANTARUM
LIBRIS, OLIM EDITIS, PRÆMISSA.

LECTORI!

Conſideranti mihi aliquando quam incredibili ſtudio ſummi ſemper poetæ hortos & rura & nemora coluiſſent, ita ut ubique alias exſulare Muſarum regno ſibi viderentur, admirari profecto ſubiit, quo malo aſtro Plantarum effectum ſit, ut nemo adhuc illarum tantam pulchritudinem tantasque virtutes verſu celebraverit. Ingens vere ſylva materiæ, & innumerabiles deliciarum flores, nec minores utilitatum fructus

redditura; quæque præter ipsarum jucundissimam historiam (quæ quam late pateat omnes norunt, vel potius nemo noscere valet) totam humani corporis fabricam & universam medicinæ rationem complectitur. Unde equidem inducor fere ut credam illos tantos viros, non quod hæc minus apta nata essent poetarum culturæ, sed infinita rei magnitudine & inexplicabili pene varietate fuisse deterritos, atque ita cum spe absolvendi operis voluntatem abjecisse incipiendi. Ego igitur homuncio literarius, vix algæ prout merita est laudandæ idoneus, id aggrediar quod semidei illi non ausi refugerunt? quidni aggrediar scilicet? illis enim turpe videbatur non omnia, mihi glorioſum est vel parum facere. Satis mihi honori fore putabo si paucis incisum truncis nomen meum, vel (quod regale esse dicitur) paucis floribus inscriptum legatur. Itaque ne tot quidem germina colligata in hunc fasciculum videbis, quot unius medicamenti compositionem aliquando ingrediuntur; & binos hosce libellulos tanquam exiguas tibi pillulas offerre videor, ex diversarum herbularum quasi farragine confectas, & nitore quodam styli deauratas: quarum quidem in delectu non ita multum laboravi, sed velut sorte ductis aut fortuito oblatis contentus fui, quia nulla fere sit quæ non abunde succorum possit effundere, si apto modo & artificiose exprimantur; neque ullam certe invenies tam jejunam & tam sterilem, ut materiam nequeat ad librum

integrum, si bene excutiatur, copiosissime suppeditare. Modus autem mihi maxime genuinus & proprius huic operæ videtur, non ut illarum vires cruda simplicique enumeratione tanquam in pila simul contundantur; sed ut lento poeticarum ambagum igne lenique tormento quasi distillando evocentur: neque ea potissimum conjungenda judicavi quæ vim essent similem naturamque nacta, ne fastidium pareret satietas; sed diversa & quam maxime discrepantia connectere malui, ut vividius gratiusque ex vicinitate contrariorum colores elucerent. Notas autem breves placuit subjungere, non eruditionis ostentandæ gratia (quæ hic magna sane non est; quid est enim facilius quam unum & alterum Herbarium evolvere?) sed quia præter ipsos Medicos (quos ego non docere velle, sed oblectare, præ me fero) non ita multi fortasse lectores invenientur qui in historiis plantarum satis sint versati ad ipsa aliquarum nomina intelligenda. Est enim pars quædam philosophiæ extra publicas plateas aut itinera usitata, inter avia atque inculta doctrinæ fere posita. His igitur mihi vicem lexici supplere visum est. Sed & ipsarum quoque plantarum gratia; ne poetico more tractari fraudi possit esse illarum veræ gloriæ, atque ipse videar non ejusmodi facultates attribuisse quas natura dederit, (quæ quid esset optimum factu cogitavit, non quid verbis bellissime possit exornari) sed eas affinxisse

quæ materiam præberent ad pompam atque inanem voluptatem uberiorem. Nam quia nobis aliquando mentiri conceſſum eſt, eaque libertate immodeſte abutuntur aliqui, ita in totum fides omnis abrogatur, ut non ſine heſitatione credatur cum dicimus,

O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut non.
Hor. ſerm. 2. 5.

Itaque teſtes adhibere volui idoneos, hoc eſt; libera ſolutaque oratione uſos; ea enim cum verſu comparata ſolenne jusjurandum eſt: duobus autem (qui legitimus eſt numerus) contentus ſum, & Plinium atque Fernelium potiſſimum elegi, quod ille ſit indubitatæ latinitatis author, & hic inter recentiores ut optimus ſentiendi, ita non malus dicendi magiſter. Priorem vero ſiquis recuſit, tanquam ſubleſtæ græcorum fidei nimium credentem *quam cui tuto credi poſſit ipſi*, profecto ita inveniet nihil ab eo memoratum ſuper hac materia, quod non ab omnibus rei herbariæ ſcriptoribus repræſentetur. Neque te tamen, quia plantarum voces ſermonesque hic audis, tanquam ſi eſſes in ſylva dodonæa, oracula exſpectare jubeo, quæ in hoc ſolo vereor ne verſus noſtri referant, quod fortaſſe tam mali reperientur quam quos ipſi dii olim conſulentibus ex adytis ſuis effuderunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0026
DFG

Rationem facti mei reddidi. Sed siqui in hunc librum inciderint, qui priorem legerint non ita pridem a me vernaculo sermone editum, metuo ne ansam inde arripiant ad quædam reprehendenda, de quibus abs re non erit purgare me breviter in antecessum. Ac me primo quidem ab aliquibus nimiarum deliciarum & levitatis accusatum iri prævideo, quod susceptis ingentibus argumentis, in iisque duorum aut triuм quasi dierum itinere confecto, aut fatali quadam lassitudine ac desperatione metæ subsistam, aut veluti novo quodam œstro percitus in aliam repente viam me conjiciam; ita ut non solum dimidium (quod ajunt) sed tertia pars operis sit semper toto meo major. Apage (inquient) desultorem hunc pegaseium! at quo spiritu, quo hiatu, quam præclara minitatus, exordiris!

Bella cano, fatique vices.

Tu bella, ignaviſſime, qui vel arma tam cito abjicis, vel ad alia castra te proripis, ante tubam pene transfuga? vel si pugnam unquam capessis, Gallorum veterum ritu plus quam vir eam inis, plus quam mulier statim deseris? at qui poemati animum applicat, tanquam si uxorem duceret, sive gratæ facilesque res, sive duræ & pene intractabiles occurrant, neque tædio ab illo abhorrere, neque novis amoribus avocari debet, neque divortium meditari, neque

ullo tempore relinquere, donec ad ſupremum usque umbilicum, velut ad terminum vitæ naturalem, perduxerit. Atque hoc quidem quod mihi vitio vertunt cum negari non poſſit, rectene an ſecus factum ſit videamus.

Primum igitur, quod de vita humana veriſſime dictum eſt, plus quam mihi opus eſt in poemata mea quadrare ſuſpicor; optimum eſſe non naſci, proximum, quam ocyſſime vita fungi, & ſi ad omega usque perducantur (quo certe Homerica ſingulari fœlicitate adhuc vegeta pervenerunt) magnum eſſe periculum ne prius delirare incipiant. Solam eſſe ineptiarum gratiam, tempeſtive, hoc eſt, cito, deſinere; nimiumque longe progreſſum eſſe authorem qui lectores ſuos pone ſe relicturus eſt defatigatos. Hæc, ſi male ſcribimus, facile brevitatem, non ita facile ſuſceptionem operis excuſabunt; neque tam inconſtantia mea, quod inchoata non abſolvam, quam conſtantia damnabitur, quod nova ſubinde inchoare non ceſſem, nimiumque (fortunæ more) conſtans in levitate mea videbor. Sin ea quæ tibi apponimus (quod o utinam, lector!) arrideant ſtomacho tuo, boni profecto conſulere debes, quod ea moderatione utamur, ut neque eſurientem te, neque ninium cibo oneratum ac nauſeabundum, dimittamus. Adde quod hæc noſtra qualiacunque tentamenta aliorum induſtriam poterunt forſitan excitare, qui ad

eadem vel nobiliora perficienda majori animo majoribusque opibus instructi accedent; sicut Agesilai olim non ita magni in Asia progressus, sed in eo genere primi, ad eam totam gloriosissime subjugandam Alexandro Magno viam aperuerunt. Postremo (nequid tibi amico (uti spero) dissimulem meo) non tam consilio quam æstu quodam mentis hæc ago: nam neque nihil facere possum, neque aliam aberrationem a molestiis habeo; itaque tædio rerum humanarum ad hæc solatia literarum amœniorum (nimium fortasse natura consuetudineque grata) æger animus se confert, & non ita diu postea, earum ipsarum subeunte paulatim odio, interrupto cursu ad alia deflectit. Gravius autem instare, & quasi meo me gladio ferire, videbuntur, qui ea mihi in memoriam redigent quæ contra veterum fabularum in re poetica usum, exoletarum jam & repetita millies interpolatione tritarum, tam atroci indignatione declamaverim, cum ipsa veritas, in sacrosancto Dei volumine & reverendis ecclesiæ monumentis, novum ingeniis hominum & ampliorem ditioremque mundum poeticum patefecerit.

Hæc tu (inquient) cum & dixeris ipse, omnibus bonis applaudentibus, & exemplum aliis in *Davide* tua dederis, tanquam apostata judæus, fastidita manna, ad ægyptiorum allia cæpasque reverteris? post adventum Christi ipsius in carmen tuum dæmo-

niorum oraculis silentium imponentis, iterumne Apollinis vocem e tripode tuo profano audiemus? recuperatam ex monstris & purificatam Sionem iterumne illa pulsorum deorum Νεκυια occupabit? & (quod propheta tanquam ultimum in malis minitatur) *occurrent dæmonia Onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum?* (*) at hoc non minus Musæ tuæ pudendum ac miserandum videri debet, quam si recidiva Magdalena rediret ad lupanar. Et vide quam te pœna peccati tui non sequatur, (ut sceleſtos solet) sed certe comitetur: ipsa materiæ humilitas tibi pennas subsecat; cum herbulis tuis humo affixus es; non potes hic, ut olim, in altos nubium tractus. Neque te quidem, tanquam Vulcanum illum (jam tuum iterum) in fabulis, cum e cœlo decideris, claudicare miramur.

Vehemens accusatio, & prima facie terribilis! ego vero illud quod admiranda Dei opera celebrat non longe abesse arbitror a sacro poemate; multarum autem plantarum viribus vix quicquam reperiri potest in natura rerum admirabilius: itaque inter alia sonantiora, hoc etiam nomine a divino poeta numen laudatur, quod *producat in montibus fœnum, et herbam usibus humanis.* (**) Neque ea (puto) libertas impudenter sumpta videbitur, qua

(*) Isa. 34. 14. (**) Psalm. 146. 8.

loquentes eas introducam, cum & facer ipse codex alloquatur illas tanquam intelligentes. *Benedicite universa germinantia in terra domino, laudate et superexaltate eum in sæcula.* (*) Non sunt habenda pro mendaciis quæ neque credi possint, neque credi sibi postulant. Quod autem aliquando deorum nomina & transformationum fabulæ intermisceantur, ipsa profecto materia me coegit invitum ut id facerem, quæ alia ratione noluit splendescere, si hac modo splendeat. Nulla picta vestis nativo veritatis habitu vivisque coloribus pulchrior existimanda est; sed aliquibus personis & aliquo in loco potest esse convenientior. Ne regem quidem ipsum aliquando saltare dedecet; at profecto indecore faceret, si saltaret augustum illum indutus ornatum in quo inauguratus est. Non est itaque in hoc opere styli illius heroici requirenda majestas (qua pro comperto habeo nullam unquam plantam fuisse usam;) quoniam nullo hic modo volare animus est, sed pauca quædam in horto spatia sanitatis partim gratia, partim delectationis, ambulando conficere.

Tertium restat, & quod difficilius fortasse diluetur. Nam & ipse mecum jamdudum statui finem facere scribendorum carminum, idque tam solenni more sum professus publice, ut pene pondus habeat juramenti; nec negari potest,

(*) Dan. 3. 73.

Si quidem hercle poſſim nil prius, neque fortius.
Eunuch. Scen. 1.

Ecce autem de novo. Qua de re quoniam verſibus rationem reddere me memini, lubet ſane (quod poetam poſſe ſuo jure facere Martialis affirmat) epiſtolam iis claudere. Erant autem ad amicum ſcripti doctiſſimum ingenioſiſſimumque, ſed eodem cacoethe, quanquam mitioribus, ut ajunt, cum ſymptomatis, laborantem.

Ergo iterum verſus? dices. O vane! quid ergo
Morbum ejuraſti toties, tibi qui inſidet altis
Non evellendus vi vel ratione medullis?
Numne poetarum (merito dices) ut amantum
Deriſum ridere Deum perjuria cenſes?
Parcius hæc, ſodes, neve inclementibus urge
Infœlicem hominem dictis; nam fata trahunt me
Magna reluctantem, & nequicquam in vincla minacem.
Helleborum ſumpſi, fateor, pulchreque videbar
Purgatus morbi; ſed luna potentior herbis
Inſanire iterum jubet, & ſibi vindicat agrum,
Illa jubet, calamum poſco, victusque trecentos
Mane malos fundo verſus; quos jam furioſus

Jacto ceu lapides, ut quisquam occurrit, in omnes.
Te quoque, amice, meis, Ἐκαληβόλῳ ὥσπερ Ἀπόλλων,
Missilibus ferio, Δεινὴ δ' ἐσπιγίνεῖο κλαγγή.
Quid facias homini quem nec (*) mala publica possunt,
Neve a cantando sua deterrere, vel ipso
Frigore vocalem, cœloque pluente cicadam?
Nimirum, ut quædam, bene quam juvenesque senesque
Et pueri norunt, video meliora, proboque:
Sed male naturam cataphractam armatus inepta
Aggredior furca. Tydides certe ego non sum,
Nec possum superare Deam; cedamus oportet.
Tu quoque, ni fallor, qui mundi arcana futuri
Voce tonas populo, mysteria magna locutus,
Esset de cœlo Elias tanquam ipse reversus,
Nocte, domi paulatim hominem atque humana resumens
Post Bacchi calices & fumos nobilis herbæ,
(Nempe scio moderate, ut & ipse quoque utor utrisque)
Nectere carmen amas tenerum, lepidoque furore
Non sine nequitiis resolutum ludere doctis.

(*) Namque hæc omnia scripta sunt paulo ante fœlicissimum regis reditum.

Ergo eadem peccanti æquum eſt te ignoſcere amico;
Nam neque nos nullo nugarum fine protervi
Semper ineptimus, ſed habemus ſcilicet ipſi
Intervalla quidem meliorum lucida rerum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0034
DFG


ABRAHAMI COULEII

PLANTARUM

LIBRI SEX

VIDELICET

DUO HERBARUM.
DUO FLORUM.
DUO SYLVARUM.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0035
DFG

PLANTARUM.

LIBER PRIMUS.

Infima regna cano, sed longe maxima, vitæ;
Plantarum omnigenum regna decora cano.
Quæque ferum in sylvis agitant immanibus ævum,
Naturæ utentes simplice lege suæ;
Quæque sub humana discunt mansuescere cura,
Hortorumque vrbes, et data jura colunt:
Quæque levant sursum se patris ad oscula solis;
Quasque humiles terræ brachia matris habent:
Quæ fontes fluviosque bibunt; quæ sicca tenentes
Admittunt solum pro Ganymede Jovem:
Et quascunque sacrum Judæi Principis olim
(Heu misere amissum!) nobilitavit opus.
Non ego, Nestoreæ quercus si suppetat ætas,
Carminibus cunctas posse referre putem.
Incipiam tamen, et nemoris primordia sancti
Parva, sed arboreis versibus apta, dabo.
His alius plures adjunget forsitan vmbras,
Et dignus tandem numine lucus erit.

v. 16. Versibus, i. e. ordinibus.

Numen ades jam nunc, Divum doctiſſime Phœbe,
Et plantæ, et vates nam tua turba ſumus.
Quaque venis, fundas circum lucemque caloremque,
Atque omnis vita ſit via picta nova.
Qualem te ſentit brumalis vincula mortis
Rumpentem magico lumine vernus ager,
Ad Colchos aries cum te vehit aureus aureum,
Et calida arctous gaudia mundus agit.
Unde iter ingrediar? nam me blandum allicit omnis,
Et pulchris ad ſe nutibus herba vocat.
Non ego me methodo aſtringam ſerviliter ulla,
Sed temere hyblææ more vagabor apis,
Quo me ſpes prædæ, et generandi gloria mellis,
Liberaque ingenii quo feret ala mei.
Non hìc areolis hortorum emblemata juſtis
Proſtituent faſtus vermiculata ſuos;
Naturæ ſed nos effuſa ſine ordine dona,
Ditis, et immenſas non numerantis opes,
Et variæ reverenda imitabimur avia ſylvæ.
Munera diſponit non niſi parca manus.

v. 25. Cum ſol intrat ſignum arietis. Ad Colchos, i. e. ad populos ſeptentrionales; hi autem præ cæteris nominantur, quod aries ille ex Colchide in cœlum perveniſſe dicitur, ibique vellus ejus aureum à Phryxo conſecratum eſt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0038
DFG

Tu primæ augurium da, flave Dieſpiter, herbæ,
Et fauſtum incipiens dirigat omen iter.
Omen adeſt fauſtum; bene habet; ſperare jubemur:
Grandia non lævus reſpicit orſa Deus.
Nam te prima oculis offers, Vettonica, noſtris;
Opportuna mihi, planta benigna, venis.
Opportuna venis, generoſa patrona cerebri:
Si ſapis, o cerebri ſit tibi cura mei.
Non te (crede mihi) nihil hoc, Vettonica, tangit:
Tu cave ne male ſit, teque tuasque cano.
Te vero ut merita es, viridis ſtirps optima gentis,
Quis canet? aut tantas vel numerabit opes?
Ille quidem Hercyniæ fælicia germina ſylvæ,
Et poterit Pæſti dinumerare roſas.
Muſa tuas juſto celebraſſe volumine laudes
Dicitur, et partem præteriiſſe puto.
Ipſe ſuos Cæſar voluit memorare triumphos.
Fac, precor, o victrix Cæſare major, idem.

v. 39. Vulgo Jovis cognomen, ſed per initia idolatriæ Jupiter et ſol diſtincta numina non fuerunt; quod etiam confirmatur ex nominis hujus derivatione: ſed tamen tollendæ ambiguitatis gratia, epitheton flavi additur.

v. 43. Vetonica, Vettonica, vel Vectonica. Ubi licet antepenultima (ut et in Betonico) à Sereno corripiatur; tamen quia penultima in Vettones, ſeu Vectones, à quibus herbæ nomen ſine dubio deductum eſt, à Lucano, cujus multo potior eſt autoritas, producitur, tutius videtur hunc quam illum ſequi. Luc. libr. 4.

Vectonesque leves ——

v. 53. Antonius Muſa, Auguſti medicus.

VETTONICA.

(*Betonica officinalis* LINN.)

Qui mea cuncta tibi breviter cupis acta referri,
Fruſtra es; nam totus non capit illa liber.
Qua patet humanus noſtra eſt provincia mundus,
Candida purpureum qua ſola flumen obit:
Porrectum medio cernit quodcunque ſub axe
Seu polus hic capitis, ſeu polus ille pedum.
Sed data præcipue capitis mihi cura regendi,
Et me mens aulæ præficit ipſa ſuæ.
Firmo fatiſcentem, et ſinuoſa palatia purgo,
Obſcuramque veto luminis eſſe domum.
Illa oriunda polo, dilapſa nitentibus aſtris,
Illa Creatoris filia magna Dei,

v. 1. Vettonica, vel Betonica. Anglice Betony. Vettones in Hiſpania eam invenerunt quæ Vettonica dicitur in Gallia, in Italia autem Serratula, à Græcis Ceſtron aut Pſychotrophon, ante cunctas laudatiſſima. Exit anguloſo caule cubitorum duum, ſpargens folia fere Lapathi, ſerrata, ſemine purpureo. Folia ſiccantur in farinam plurimos ad uſus. Fit vinum ex ea et acetum ſtomacho et claritati oculorum tantumque gloriæ habet, ut domus in qua ſata ſit tuta exiſtimetur à piaculis omnibus, Plin. lib. 25. 8. Itaque Italice proverbiali elogio dicitur aliquis tot virtutes habere quot Vettonica, ſcilicet innumeras. Calida et ſicca exiſtimatur receſſu ſecundo, incidendi detergendique vi prædita.

v. 7. Cerebrum vel odore ſolo recreat, Fernel. et alibi, cerebrum mire levat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0040
DFG

Hei mihi, quam fragilem pauper jam cogitur ædem,
Quamque ruinosam, mens habitare casam!
Pestiferi infælix patitur contagia tecti,
Accensæ flammis uritur ipsa domus.
Sæpe aliquis sacri correptus fulmine morbi
Procumbit subito, triste Bidental, humi.
Sæpe caput celeri circum vertigine fertur,
Atque Ixionia mens agitata rota est.
Sæpe gravis dolor incudem sub vertice tundit,
Stat juxta fornax, et vigil igne furit.
Sæpe aliquas motus partes sensusque relinquunt,
Ambulat (heu monstrum!) semicadaver homo;

v. 17. Morbus comitialis, ἱερὸν νόσημα' vel quod à diis immitti crederetur, (et sane in historia Evangelii Dæmoniis attribui videtur;) vel quod non nisi divina ope sit curabilis, unde veteres incantationibus eam exigere tentabant; vel quod divinam hominis partem occupet; vel quod sit magnus (unde et Herculeus morbus vocatur) Ἱερὸν qui τὸ Μέγα' vel quod detestabilis, ut auri sacra fames. Comitiales sanat Vettonicæ in oxymelite drachma, Plin. lib. 26. 11. Comitialibus furiosisque medetur, Fernel.

v. 18. Quicquid fulmine tactum sub religione mansit, donec ad prodigii procurationem, ovis bidens immolaretur, vel, ut alii volunt, binæ pecudes, unde Bidental dictum est.

An quia non fibris ovium ergennaque jubente
Triste jaces lucis evitandumque Bidental. Persius.

v. 19. Ad vertigines, omnesque capitis morbos, vel quæ à capite proveniunt, Vettonica præscribitur.

v. 22. Inflammatio.

v. 23. Paralysin serpentiaque membra persanat. Fernel.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0041
DFG

Mezenti superat furias, et corpore eodem
Conjungit vivis mortua membra lues.
Aſt alios premit integra caligine torpor,
Et toto lethi pondere sæva quies.
Heu vitam affinem similemque per omnia morti!
In sola vitam mors brevitate refert.
Sæpe agitat vanis rationem insania visis,
Et misera in somnis ambulat illa suis.
Sæpe etiam absumpto nervorum divite succo,
(Quem sola ætherium cernere mente licet)
Perpetuum vinclis quatiuntur membra solutis
Ambigua, & laxo machina fune tremit.
Hæc, & quæ noceant sacro mala mille cerebro,
(Cui mala mille nocent ambitiosa loco)
Me pater æterno jussit compescere bello,
Et regnum dixit, nata, tuere meum.

v. 25. Mortua quinetiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus ——
Virg. de Mezentio.

v. 27. Lethargus.

v. 31. Contra insanias Vettonica bibitur, Plin. lib. 26. 11.

v. 33. Tremor. Hæc dicuntur ex clarissimi Glyssonii nostri sententia (quam veram esse arbitror) de succi nutritii per nervos distributione, quam vide in nobilissimo illius opere de Anatomia Hepatis. Utilissima Vettonica nervis discurrentibus per scapulas, humeris, spinæ, lumbis, pota, ut in jecinore, Plin. lib. 26. 11. Nescio quamobrem non omnibus dixerit, nam quæ cerebro conferunt ea omnia nervos omnes juvant.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0042
DFG

Ac velut Æneæ mater, vel (13.) mater Achilli,
Sic fabricata mihi cœlitus arma dedit.
Divinum folium informans unum omnia contra
Telaque morborum fatiferasque minas.
Additur & ſucci non enarrabilis humor,
Et ſupero arcanus qui pluit orbe calor.
Phœbe pater, non me ignavam cœleſtibus armis
Donas, rubigo neve ea carpet iners.
Non caput abſolvet ſolum me crimine tanto,
Abſolvent capiti ſubdita membra ſuo.
Cum corda occluſis pulmonibus occupat humor,
Aeriosque aditus vis inimica tenet,
Imparibus tentat conatibus excutere hoſtem,
Et petit externam languida tuſſis opem.
Me petit; advenio: reſeratur ſemita cordis,
Blandaque per notos pertinet aura favos.
Vitali Zephyro mulcentur pectoris æſtus,
Miteſcitque tuus, torrida zona, calor.

v. 41. Æn. lib. 8. (13.) Thetis Achilli Iliad. 18.
v. 43. Virg.
Divinum clypeum informans unum omnia contra
Tela Latinorum ——
v. 51. Tuſſis, Aſthma, Phthiſis. Vettonica Phthiſicis ecligmate cum melle fabæ magnitudine, Plin. lib. 26. 11. Ad lateris & pectoris dolores Vettonicæ farina bibitur ex aqua calida, id. cap. 7. Vettonica obolis tribus in aqua contra purulentas contraque cruentas exſcreationes, id. cap. 5. Stomacho & Dyſpnœæ medetur Vettonicæ tuſæ pondo, libra mellis Attici, ſemuncia ex aqua calida, quotidie bibentibus, id. cap. 7. Pulmonis, Jecoris, Lieniſque vitia expurgat, Fernel.
v. 56. Spongioſos poros pulmonum.

Pellitur à ficcis ſerpens quartana cavernis,
Aſcitesque fuis pellitur hydrus aquis. 60
Triſtia pelluntur ſtomachi faſtidia crudi,
Aſſiduoque viget læta culina foco.
Sedatur torti tempeſtas turbida ventris,
Poſtico iratus murmure flatus abit.

v. 59. Quartanis Vettonicæ drachmam in aquæ mulſæ cyathis tribus, Plin. lib. 26. 11. Bibitur in horroribus Vettonicæ farina, quæ omnes horrores coercet, ib. Siccis, etc. quæ nempe ex melancholia aduſta orta creditur.

v. 60. Præcipua Hydropis ſpecies, ab Ἄσκος, Utris. Hydropicis Vettonicæ drachmæ duæ in duobus cyathis vini aut mulſi, Plin. ib.

v. 61. Cruditates quæ nauſeam faciunt digerit Vettonica; eadem pota à cœna concoctionem facit, in oxymelitis cyathis tribus drachmæ pondere, & crapulam diſcutit, id. cap. 11. vettonica alias gravis ſtomacho, vitia tamen ſanat pota vel foliis commanducata, cap. 7. Faciles præſtat vomitiones Vettonicæ radix, Hellebori modo, 4 drach. in paſſo aut mulſo, ib. Siſtit vomitionem Vettonicæ farina ex aqua, abſtergit faſtidia cruditatesque digerit, ib. Betonica crudorum concoctionem adjuvat; datur acidum ructantibus & ſtomachicis; dolorem capitis ex ventriculi ſympathia ſedat, Fernel. Stomacho laboranti prodeſt, ejusque concoctionem juvat, Id.

v. 63. Tormina ventris. Cæliacis in vino auſtero datur. Tormina diſcutit quodcunque Panaces & Vettonica, Plin. lib. 26. cap. 8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0044
DFG

Eluitur croceo tinctura inamabilis ore;
Gutta feros lapides (nec diuturna) cavat.
Lentus inhæreſcens venis Lunæque rebellis
Cogitur obſcœnus præcipitare cruor.
Alba ſed illiciti hauritur ſentina fluoris:
Hei mihi! ſpurcities non aliena ſat eſt.
Siſtitur ipſe etiam, rubroque remittitur orbi
Qui velit injuſſa ſanguis abire via.
Siſtitur inſanos matrix motura tumultus,
Longinquum telis auſa ferire caput.
Maternusque tumet non fluxo pondere venter;
Funera nec naſci dimidiata ſino.

v. 65. Icterus, morbus regius. Impugnatur Centaurea poto, Vettonica, etc. Id. cap. 12. Regium morbum ſanat, omnibus denique obſtructionibus expediendis & cum febre & ſine febre accommodatiſſima, Fernel.

v. 66. Veſicæ malis contraque calculos auxilio eſt Vettonica. Ad calculos quidam Vettonicam & Verbenacam & Millefolium æquis potionibus ex aqua pro ſingulari remedio bibere ſuadent, Plin. lib. 26. 8. Renum lapides exterit, Fernel.

v. 67. Menſes ducit, Fernel. Vettonica drachma in vini cyathis tribus bibitur contra omnia vulvarum vitia, aut quæ à partu fiunt. Plin. lib. 26. 15.

v. 69. Vettonica utilis prægnantibus, & quibus alba ſordida illuvies ex utero manat, Fernel.

v. 71. Vettonicæ farina è lacte caprino pota ſiſtit ex ubere fluentem ſanguinem Plin. lib. 26. 13. Sed & ad ſiſtendam quamcunque ſanguinis fluxionem, niſi menſium, efficax eſt.

v. 75. Betonica uterum expurgat, & nihilominus corroborat, & conceptum retinet, Fernel.

Sed cum natalis ſacer ingruit impetus horæ,
Vis eadem inceptum fortior urget opus.
Quid quod & articulis podagram diſcedere cogo?
Tarda licet, celeri me fugit illa gradu.
Quid quod ſerpentum furialia pello venena,
Et mea ſerpentes dia venena necant?
Illos ſubtili ferit arcanaque ſagitta,
Et perimet cæco vulnere acutus odor.
Sic Pater arcitenens, victum Pythona fuiſſe
Arbitror, & ſuccis illita tela meis.
Quid quod de membris per me dolor omnibus actus,
Atque exul toto corpore mœſtus abit?
Quid quod defeſſis redeunt viresque vigorque,
Atque oti fructum percipit ipſe labor?

v. 79. Podagricis inter cætera paſſim præſcribitur, itemque Iſchiadicis.

v. 81. Morſibus imponitur Vettonica præcipue, cui tanta vis perhibetur, ut incluſæ circulo ejus ſerpentes ipſæ ſeſe interimant flagellando: datur ad ictus ſemen ejus denarii pondere cum tribus cyathis vini, vel farina drachmis tribus ſextario aquæ imponitur, Plin. lib. 25. 8. Potu omnia mala medicamenta exigit per alvum Vettonicæ ſemen in mulſo aut paſſo, vel farinæ drachma in veteris vini cyathis quatuor; vomere cogendi atque iterum bibere. Iis qui quotidie guſtent eam nulla nocitura mala medicamenta tradunt, id. cap. 10.

v. 87. Ad omnes corporis dolores ſuccum Vettonicæ, id. lib. 26. 11.

v. 89. Laſſitudinem diſcutit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0046
DFG

Nec miſeræ ſatis eſt incommoda tollere vitæ,
Ornatur donis luxuriatque meis.
Per me purpurei formoſum lumen honoris,
Et niveam illuſtrat gratia viva cutim.
Talem me genuit fauſtis Hiſpania fatis,
Omnibus & terris terra benigna dedit.
Nec Trajanum orbi magis eſt genuiſſe regendo,
Ac dominum dominæ lata dediſſe ſuæ.
Implevit numerum certe laudem ille mearum,
Et mihi multiplici par bonitate fuit.
Sed bonus, ah! princeps fatorum quam breve donum
Tantarum exhæres quam cito mundus opum? (eſt?
At noſtra æternum gentes virtute fruuntur,
Sumque orbi ſemper quod fuit ille ſemel.

v. 94. Pota colorem plumbeum corporis privatim emendat, gratioremque reddit, Plin. lib. 26. 11.

CAPILLUS VENERIS.

(*Adianthum Capillus Veneris* LINN.)

Noſtra capillaris cum ſit domus optima gentis,
Me patronam omnes conſtituere ſuam.
Pro cunctis voluere loqui: numeroſa propago,
Nec plantas inter factio parva ſumus.
Et filices, quarum eſt dominatio lata per agros,
Contingunt noſtrum proximitate genus.
Quidam etiam ætherios hinc deduxere cometas,
Junctaque cum ſuperis germina multa putant.

v. 1. Capillus Veneris, ſic primo, ut arbitror, ab Apuleio nominatus; nam Plinius veteresque adiantum appellant. Si Plantis Πολυωνυμια non ſit minus honorifica quam diis olim exiſtimata eſt, profecto hæc noſtra honoratiſſima eſt. Græce dicitur Ἀδίαντον, Πολύτριχον, Καλλίτριχον, Ἐβενότριχον. Latine, Capillus Veneris, Adiantum, Polytrichum, Callitrichum, terræ Capillus, Cinciunalis, Capillaris, Crinita, ſupercilium terræ, Coriandrum putei; anglice, Maiden-hair, Venus-hair, Our Ladies-hair. Pluresque aliæ ſpecies ad hoc genus referri poſſunt: ut Ruta muraria, vel Adiantum album (white Maiden-hair;) Trichomanes, quod raritati capillorum medeatur (engliſch Maiden-hair;) & Polytrichum aureum, vel Adiantum aureum, vel Muſcus Capillaris. Virtutes autem quæ ei attribuuntur etiam nominibus longe numeroſiores ſunt, quarum paucæ tantum hic delibantur.

v. 5. Ramuli nigro colore nitent, foliis Filicis, ex quibus inferiora aſpera & fuſca ſunt, Plin. lib. 22. 21.

v. 7. Propter communem nominis notationem.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0048
DFG

Sed consanguineos libet haud agnoscere tales,
Odimus & mores turba benigna feros.
Funditur augurio noster meliore capillus,
Et non de nihilo nomen amoris habet.
Ipsa mihi multum scit se debere venustas,
Ipse meis telis retia nectit amor.
A me formosi lasciva volumina crinis,
Plaudentisque humeros umbra decora comæ.
Me cole quisquis amas; lætam nutrire memento
Cæsariem, & toto vertice tende plagas.
At nudum sine honore caput, tritisque capillis
Pannosum, inclusas quam male jactat opes?
Nimirum, teneræ nec credunt ista puellæ,
Nec curant; oculis serviat omnis amans.
Sic Veneri (delector enim cognomine diva)
Præsto operam (quamvis ipsa modesta) meam.
Ipsa modesta quidem, contentaque simplice cultu:
Rusticus en nullo flore superbit apex.

v. 14. Quidam Callitrichon vocant, alii Polytrichon; utrumque ab effectu: tingit enim capillum, & ad hoc decoquitur in vino cum semine Apii, adjecto oleo copiose, ut crispum densumque faciat: defluere autem prohibet, Plin. ib.

v. 26. Semper virescit, nunquam floret.

Sobria præcipue; nec dulcia flumina libo,
Nec fiunt labris ſtagna minora meis.
Propinat plantis cum Jupiter ipſe ſalutem,
Largaque cœleſtis pocula fundit aquæ:
Germina multa vides totum exhaurire liquorem,
Et non civili proluere ora modo.
Vitiferi credas habitantes litora Rheni
Germanos feſtum concelebrare diem.
Me pudet hoc; tactos foliis trepidantibus imbres
Excutio, & madidum ſicca ſaluto Jovem.
Non equidem invideo bibulis, nam læta vireſco,
Nec ſiccum exhaurit bruma vel ipſa meum.
Me tamen immergunt medici crudeliter undis,
Cogor & inviſo fuſa liquore mori.
Perſequor humores odio poſt fata perenni;
Perſequor: humores & cinis ipſe fugat.
Per jecoris ſpleniſque vias renumque meatus
Hoſtem ego: fluminea labitur ille fuga.

v. 27. Aliud Adianto miraculum, æſtate viret, bruma non marceſcit: aquas reſpuit; perfuſum merſumque ſicco ſimile eſt, tanta diſſociatio deprehenditur, unde & nomen à græcis, (nempe ὅτι δ' διαβρέχει non madeſcit) alioqui frutici Topiario. Umbroſas petras parietumque aſpergines ac fontium maxime ſpecus ſequitur, & ſaxa manantia; quod miremur, cum aquas non ſentiat, Plin. ib.

v. 41. Urinam cient —— Decoctum ex his prodeſt ſuſpirioſis, & jecinori, & lieni, & felle ſuffuſis, & hydropicis: ſtranguriæ illinuntur & renibus cum abſynthio, ſecundas cient & menſtrua, Plin. ib.

Et multos prono secum vehit agmine morbos,
Horrida quæ falsis monstra feruntur aquis.
His ego pro meritis poteram meruisse videri
Vel Berenicæis altior ire comis.
Sed vertente polo recipit si sidera Pontus,
Plus mihi vel cœlis arida terra placet.

v. 48. Fuit hæc Berenice (nam plures eo nomine Ægypti Reginæ fuerunt) Ptolemæi Philadelphi & Asinoes filia, quæ Ptolemæo Euergetæ fratri suo nupsit; qui cum paucis diebus à nuptiis expeditionem in Asiam suscepisset Berenice crinem se detonsuram vovit si salvus rediisset: cujus voti damnata abscissam comam in templo veneris consecravit: quæ cum postridie non apparuisset, ægre id ferenti Ptolemæo Conon mathematicus (gratiam ejus captans) inter sidera relatam affirmavit, septem ei ad caudam Leonis stellas ostendens figura nomineve non antea donatas. Vid. Eleg. Catul. de Comâ Berenices.

SALVIA.

(*Salvia officinalis* LINN.)

Salvia, quæ multis titulum virtutibus imples,
Salvia, quam magni vita beata facit.
Cum damnosa tuo fugiant oblivia dono,
Salvia, non possum non memor esse tui.
Mnemosynæ charam celebrabunt jure Camœnæ;
Et non ingratas esse querere Deas.

Celso monte super saxo circundata mentis
Stat domus, & late subdita membra videt.
Artifici fuerit dextra fabricator oportet,
Nam parva, at mundi totius illa capax.

Hic

v. 1. Nostri qui nunc sunt herbarii Elelisphacon græce, latine Salviam vocant, etc. Plin. lib. 22. 25. Sed puto Ἐλελίσφακον unam tantum speciem σφακῆ, i. Salviæ, esse, forte sylvestrem. Salvia cerebrum idcirco juvat & corroborat quod illi totius substantiæ similitudine familiaris sit, Fernel. id. lib. 5. de Meth. med. Salvia calida primo, sicca secundo: quæ angustiore folio, efficacior habetur; ea leniter astringit, & emanantem sanguinem cohibet, ventriculum atque cerebrum corroborat, torpentem appetentiam excitat; peculiariter autem nervos firmat, eorumque vitiis omnibus medetur, in idque vires obtinet castoreo finitimas.

v. 3. Quia inter præcipua medicamenta habetur quæ memoriam confirment.

v. 5. Memoriæ, musarum matri merito dictæ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0052
DFG

Hic ſacra ſpirituum glomeratur turba potentum,
Corporis humani proxima turba Deæ.
Concilium hic ſummis magnum de rebus habetur;
Diſcurritque frequens, itque reditque cohors.
Fervet opus, portisque vagum ruit omnibus agmen,
Candida nec ſolis denſior aura pluit.
Scilicit ætherios artus bombycina veſtit
Materies, rapidum nec remoratur iter.
Omnia ſed longo labefacta labore fatiſcunt,
Membraque perpetuum fortia frangit opus.
Sæpe etiam intentos operi paſſimque vagantes
Graſſator duro devorat ore calor.
Sæpe Venus toto prædatrix corpore raptos
Avehit, aut liquido mergit in igne merum.
Inde graves ſenſus invadit plumbea peſtis,
Et glaciat vitæ munia torpor iners.
Colluvies animam morborum frigida inundat
Milite nudatam præſidiisque ſuis.
Inde tremunt nervis perterrita membra ſolutis,
Et nutat dubie mox ruitura domus.
Vix ori calices ſitienti dextra vacillans
Ferre valet, trepidam ferre venena putes.
Tum demum apparet quantum tu, Salvia, poſſis,
Implorantque tuam digna pericla fidem.
Frigore vallatum denſisque humoribus hoſtem
Vividus obſeſſa dejicit arce calor.

Spiritibusque fatigatis certamine tanto
Spiritus afflatur te veniente novus.
Et nova vita redit (liceat si dicere) vitæ,
Corpore quæ jacuit pene sepulta suo.
Et nervis jam membra suis religata tenentur,
Nec fluctus puppim sed moderator agit.
Cuncta tuo adventu stabilis: tam fortia quisquam
Crederet e fibris vincula facta tuis?
Non fragili laxos solidas ferrumine dentes,
Cogis & alveolis rite manere suis.
Ah! nunquam ruat hoc tam pulchrum atque utile (vallum,
Neve suo cedat terminus iste loco.
Lubrica tu firmas teneri primordia fœtus,
Atque uteri fluxam non sinis esse fidem.
Mors fera, parce, precor, vitam anticipare vel ipsam:
Ut moriatur homo, fit, precor, ille prius.
Ah nimium properas, siquidem in navalibus ipsis
Naufragium faciat vix fabricata ratis.
Parva quidem memoro. Tu coram absentia sistis,
Nec tu præteritum præteriisse finis.
Sed fluidarum animo signas vestigia rerum,
Et non futilibus figis inusta notis.

v. 41. Salvia confortat nervos, manuumque tremorem
Tollit ——
Salernitan. Iidem honorificentissime de hac herba, &, pro talibus poetis, etiam poetice rogant,
Cur moriatur homo cui Salvia crescit in horto?

Ne male diluto fugiant pigmenta colore,
Tu prohibes oleo mista perire tuo. 60

MELISSA.

(*Melissa officinalis* LINN.)

Ite procul curæ (nimium mihi turba sodalis)
Ite; venit vati læta Melissa suo.
Læta venit, sertisque volens me cingit odoris:
Me cane (ait,) merces ipsa canentis ero.

v. 59. Agrippa eam sacram herbam appellavit, & scripsit leænas eam manducare ad partus facilitatem. Aetius dicit, gravidæ mulieres si fluidæque laxæque sint, ea utilissime vescuntur; nam conceptum retinet, & vitalem reddit. Ajunt in Copto Ægypti post sævas pestilentias ab his qui superfuerunt ad ejus succum bibendum mulieres coactas fuisse, plurimosque fructus inde productos; Heurnius.

v. 1. Melissa, Melisphyllum Virg. Melissophyllum & Melittis Plin. quibusdam Apiastrum, quorum eadem omnibus origo nominum, quod sit herba apibus gratissima. Citrago etiam dicitur, ab odore. Citrago quæ & Melissophyllon, calida siccaque recessu primo, demulcet quoque atram bilem; confert ad timores & tristitias quæ occasione nulla ex atra bile suscitantur, lætaque facit somnia, simul quoque aliquantum deterget, Fern. Et idem alibi, Melissophyllum syncopen ex frigida causa, mœrorem tristitiamque excutit. Rases (referente Heurnio) ait, Melissa animi hilaritatem, coloris amœnitatem & jucunditatem, bonamque coctionem creat, & canitiem retardat. Qua de causa vino indi solet. Multis aliis facultatibus celebris est, sed hic de hac una agitur. Anglice *Baume*.

Jamdudum insolito juvenescunt corda sereno:
Agnosco afflatum, nobilis herba, tuum.
Jure tuam frondem signaris imagine cordis;
Te solet inter opes cor numerare suas.
Vultibus impressum veluti regalibus aurum
Partis & effigiem Principis ipsa geris.
Te fugiunt pluviæ, te venti & nubila mentis,
Auratumque aperit pax inopina diem.
Nec Bacchus plus ipse juvat, cum rore superbo
Fervidus in venas purpureusque fluit,
Dulcia mortalis portans oblivia sortis,
Spemque renidentem, divitiasque breves.
Nescio quid plerumque bonis turbatur in illis,
Visus & impuro est surgere fonte lepos.
Nec sævum occidit Bacchus, sed vulnerat hostem;
Viribus iratis fortior ille redit.
At tua lene fluit, sine vi, sine fæce, voluptas,
Nec pungunt caudis gaudia sæva suis;
Nec nimium melli vicinus aculeus hæret:
Blanda Melissa, tuas non imitaris apes.

v. 7. Qui signaturas rerum consectantur, observant Melissæ folia cordis figuram referre.

v. 23. Melissophyllo sive Melittide si perungantur alvearia, non fugient apes; nullo enim magis gaudent flore: copia istius examina facillime continentur. Idem præsentissimum est contra ictus earum vesparumque & araneorum, item scorpionum, etc. Plin. lib. 21. cap. 20. Unde Virgil. alvearia ea illini jubet;

—— Huc tu jussos insperge sapores,
Trita Melisphylla & cerinthæ ignobile gramen,
Georg. 4.

O munus cœleſte datum mortalibus ægris!
O Numen, curæ ſi medicamen habes!
Infeſtant aliæ peſtes, hæc poſſidet orbem,
Hoc uno ægrotat quisquis ubique malo.
Gaudeat innumeris & abundet floribus ætas;
Hæc flores ipſos tingit amarities.
Circumfert humana ſuum natura venenum,
Atque opus antidoto vita habet ipſa tuo.

COCHLEARIA.

(*Cochlearia officinalis* LINN.)

Eſt morbus, nomen ſcorbuto Saxones indunt,
Arctoos late qui populatur agros.
Felix barbari cum quæ ridit Græcia nomen!
Ah felix quod non cultius ipſa dedit!
Monſtrum atrox! nullum quo miſit tetrius unquam
Prædatum in terras vindicis ira Dei.

v. 1. Cochlearia à figura cochlearis nomen mutuatur, peculiariter ſcorbuto dicata, & providentia divina in iis regionibus abunde creſcens ubi hic morbus graſſatur. Quem inferioris Saxoniæ incolæ *Scorbock*, aut *Scorbuck*, à torminibus ventris appellant, unde nomen Scorbuti. Angl. *Scurvy*, & herba, *Scurvy-graſſe*.

v. 3. Licet Græcis innotuiſſe videatur hic morbus, nam eum exacte deſcribit Hipocrates in lienis morbis; tamen ita infrequens fuit in Græcia, ut proprium ac peculiare nomen nullum nactus ſit.

Centum illi horribiles, centum (mirabile!) formæ,
Bis centum armatas arbitror esse manus.
Inter limosas abdominis ille paludes,
Sulphureas inter nascitur hydrus aquas.
Illum & desidia, & nimii peperere labores;
Illum & luxuries, & dolor ipse parit.
Sæpe etiam febris defunctæ sævior hæres,
E cinere & sicco prosilit ille rogo.
Nascitur exiguus, facilique domabilis arte.
Hei mihi! quam parvo tempore magnus erit?
Sic stupet ingentem Nilus Crocodilon ab ovo,
Vix tantum immersis ipse stupendus agris.
Humore obscœno & salibus nutritur adustis;
Ipsi illum flatus, atque alit ipse vapor.
Ille nec in cunis tentat nihil improbus infans,
(Desidiæ ô proles desidiosa parum!)
Herculei citius non incepere labores;
Monstrorumque hostis monstra imitantur opes.
Qui modo natus erat, jamdudum membra fatigat
Insultans; ipsa lassa quiete labant,
Et languent, parentque animæ non læta moventi,
Nec norunt ubi sit, cum sit ubique, dolor.

v. 7. Tanta morborum & symptomatum farrago in hoc morbo concurrit, ut vix alius sit tam πολύμορφος, & qui sub tot morborum speciebus latitet. Sennertus eum autem sic definit: est prava quædam corporis nutritio vel cachexia ab humore melancholico peculiari modo corrupto orta, conjunctam habens crurum debilitatem & maculas, gingivas tumidas & sanguinolentas, dentium laxitatem, & plura alia symptomata.

Pectore deducto vix æger anhelitus exit,
Sanguine vix ripæ prætereunte tument;
Mox late dat signa sui fidentior hostis,
Damna nec autorem tanta latere sinunt.
Tetra situ putri, fraudataque dentibus ora,
Mortis odor fœdus, mortis ubique color;
Nauseaque, & vomitus, & clausi tormina ventris,
Et ferrugineis crura inhonesta notis;
Offusæque animo tenebræ, sensusque ligati:
Quicquid & ut sibi sit vita odiosa facit.

Hoc monstrum mihi tale dedit natura domandum,
(Namque herbis non est monstra domare novum.)
Sic taurum vigilemque draconem vicit Jäson;
Non memini succis usus an ille meis:
Sed vicit, rediitque potitus virgine & auro.
(Eveniant medicis talia sæpe, precor.)
Gaudebam quod dura mihi provincia cessit:
Quo major, certe gratior hostis erat,
Ipsa (fatebor enim) capior dulcedine laudis,
Et juvat in medicis nomen habere libris:
Invideoque illis quas magni charta Galeni,
Aut Coi celebrant scripta verenda senis.

v. 39. Cochlearia facile primas inter ista medicamenta tenet, & malo huic peculiariter adversatur, ut longa experientia docuit; sale enim volatili acri cum amaritudine conjuncta abundat, unde aperit, penetrat, crudos illos & crassos humores volatiles reddit, per urinam & sudores expurgat, viscera roborat, Id.

Invidit merito juvenis Pellæus Achilli:
Dissimilis questus nec mihi causa fuit.
Cumque aliæ græco florerent nomine plantæ,
(Namque honor in græco nomine summus inest)
Tunc ego littoribus crescebam inhonora britannis.
(Terra Britanna quidem tunc inhonora fuit)
Crescebam infelix gothici procul accola Ponti,
Nec fuerat foliis vilior alga meis.
Nunc decet obscuræ damnum deforme juventæ,
Tam longas famæ nunc reparare moras:
Et decet, & facio: nunc inclyta gloria nostri est,
Et nota in terris omnibus herba legor.
Quis meruisse negat, cum nostro marte tyrannus
Vincitur arctoo qui vagus orbe furit?
Dicite Io Pæan! ter Io sonet ultima thule,
Ter resonent gothici littora vasta maris!
Ille ferox morbus manibus post terga revinctis,
(Dicite Io!) currus ducitur ante meos.

v. 55. Eadem esse creditur à quibusdam ac Britannica Plinii, quod abunde in hac Insula nostra crescat.

CASSYTHA.

(*Cuscuta europæa* LINN.)

Nec folium, Cassytha, tibi est, nec caulis egenæ,
Nec radix? vitæ pensilis ortus ubi est?
Tota quidem magica es: nec jam miracula miror
Plurima quæ facias; grandius ipsa mihi es.
Herbarum ut capias vires, tua retia temet
Tendis, venatrix & simul ipsa plagæ.
O animatum ænigma! tuæ mysteria plantæ
Qui cantu celebret vate opus œdipode est.
Non tu vicinas sine causa amplecteris herbas,
Cum tibi sint corpus brachia sola tuum.
Stamina larga quidem tibi nent vitalia Parcæ:
Sed nec subtegmen, tela nec ulla datur.
Fallor? an hinc gaudes filum præbentia lina
Non scrutabilibus complicuisse modis?

v. 1. Κασσύθα (quæ veteribus Græcis ignota) à κασσύω consuo, quia quasi filis quibusdam herbas implicat; unde & Epilinum (quæ maxime celebris est *Cassythæ* species) vocatur Λινόδεσμος, vinculum lini. In officinis *Cuscuta* dicitur. Angl. *Dodder*. *Cassytha* primo ordine calida, sicca secundo, amaroris astrictionisque particeps, melancholiam tum herba tum semine proprie incidit atque detergit, obstructum lienem expedit, deinde & jecur, arquatumque nigrum, & febres lentas diuturnasque pellit, quandoquidem venas omniaque vasa à putridis humoribus expurgat, servato ventriculi & reliquorum viscerum robore, Fernel.

O bene dilectæ conjux fidiſſima plantæ!
Quo nullum exemplum clarius edit amor.
Jam pudeat laſcivam hederam memorare, Cupido:
Illius amplexus ſola libido facit.
Corpore perfruitur placito: divortia rebus
Apparent aliis; res habet illa ſuas.
Sunt vires frondesque aliæ, nec fructus & ipſe,
Teſtis adulterii, conjugis ora refert.
Et radix aliis ſatiatur libera ſuccis,
Et vel adhuc nomen nupta parentis habet.
At bona de ſolo pendet Caſſytha marito;
Nil habet illa ſuum, ſed nec habere velit.
Illius & ſucco nutritam, & ſtipite fultam,
Et folio ornatam ſe putat eſſe ſatis.
Gaudet & illius quodcunque eſt ſumere nomen,
Et fieri cunctis una eademque modis.
Tali animo Alceſte fuit, & Capaneïa conjux,
Et paucæ eximius quas celebravit amor.

v. 24. Neque enim nomen mutuatur ab arbore quam amplexatur, ſed ubique nomen Hederæ retinet, quod Cuſcuta non facit.

v. 29. Quæ Thymo ſe implicat Epithymum vocatur, quæ Thymbræ Epithymbrum, quæ Urticis Epiurtica, quæ Rubo Epirubus, etc. nec tantum nomen adſciſcit plantæ cui inhæret, ſed & virtutes ejus participat.

v. 31. Cum Apollo à fatis impetraſſet ut Admeto Regi produceretur vitæ terminus, ſiquis pro eo diem obire vellet, uxor Alceſte conditionem accepit, vicemque ejus ipſa ſubiit.

v. 31. Evadne Martis & Thebes filia, quæ ſeſe in mariti ſui rogum projecit.

Turbine quo ſeſe charis projecerit audax.
Ignibus Evadne, fulmenque in pectore toto
Quæſierit ——

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0062
DFG

Et puto, te Caſſytha, mori pro conjuge Lino
Velle; ſed eveniant proſperiora tibi.
Hic viventis amor; claram poſt funera reddit
Altius humanæ nomen amicitiæ,
Quam jecori præſtas ſplenique fideliter ægro,
Quos recreas victos obſidioque levas.
Unde, precor, tantas tantillo in corpore vires,
Unde, precor, plantæ pauperis uxor, habes?
Quis fore crediderit jecur ut medicamine tali,
Tam miſera tantum viſcus egeret ope?
Utere vel minimis: nec dedignare ſuperbus,
Quod ſervent homines parva; minora necant.

v. 37. Hepatis & lienis infarctus expedit, uſtam ex bile melancholiam eluit, etc. Heurnius.

ABSINTHIUM.

(*Artemisia Absinthium* LINN.)

Infaustum pueris & detestabile germen
Credor, & à Furiis Persephoneque legi.
Insanire putant medicum, vel ludere certe,
In me si succum dicat inesse bonum.
Sed neque fœmineo scio me placuisse palato,
Multa licet sexus debeat ille mihi.
Et puto vix paucis tristem arridere saporem:
Hei mihi, quam paucos Jupiter æquus amat!

v. 1. *Absinthii* genera sunt plura: *Santonicum* appellatur à Galliæ civitate, *Ponticum* à Ponto, ubi pecora pinguescunt eo, atque ob id sine felle reperiuntur; neque aliud præstantius, multoque *Italico* amarius: sed medulla *Pontici* dulcis. De usu ejus convenit dicere, herbæ facillimæ atque inter paucas utiliſſimæ, etc. Plin. lib. 27. 7. ubi totum caput enumerandis ejus virtutibus impendit. Fernel. breviter in hunc modum: *Absinthium* calidum primo gradu, siccum secundo, astringens, amarum & aere, excalfaciens pariter & detergens, roborans & desiccans: ejus decoctum stomachum corroborat, bilem eique inhærentem pituitam detergit, vacuatque tum per alvum tum per urinas. Hinc morbo regio correptos sanat, malaciam stomachi & inflationes discutit, appetitum excitat, nauseam arcet, lumbricos pellit. Comæ, folia & semen usurpantur; sed succus stomacho infensus, etc.

v. 6. Urinam ac menses cient tres quatuorve ramuli cum *gallici Nardi* radice una cyathis aquæ sex ——
Menses privatim cum melle sumptum & in vellere appositum, Plin. ib. Abstergit etiam uterum.

Dulcia ſola placent; ſed dulcia quantus amaror
Conſequitur, ſero poſt ſua damna vident.
Longa voluptatis ſubeunt faſtidia curtæ,
Dilectæque nimis nauſea fœda dapis.
Dat ſtomacho pœnas, quem læſerat ante, palatum;
Odit & optatos, cum rediere, cibos.
Tum gravis inferno ſpirare mephitis ab orbe,
Mœſtaque lernæus ſurgere in ora vapor:
Tunc primum ſuccos nos faſtidire ſeveros,
Tunc & amaritiem diſſimulare meam.
Nec fruſtra ingredior ſtomachum, nec inutilis hoſpes;
Sed fero præſentem, Numinis inſtar, opem.
Non aliter ſolem recreor ſentire tepentem,
Cum mihi poſt hyemis frigora longa venit.
Illic ſæpe mihi ſtabulum purgare nefandum,
Et libet Herculei ferre laboris opus.
Pondere diſcuſſo repetit ſua munia lætus,
Et vivo ſtomachus percoquit igne cibos.
Purpureamque avido tincturam devorat ore,
Nec venis operam dat chylus ille gravem.
Paulatim roſeum depingit gratia vultum,
Purgato roſeus ſpirat ab ore vapor.

v. 15. Putor ex corruptis aquis.
v. 19. Aſtringit ſtomachum, bilemque detrahit — Malaciam ſtomachi & inflationes diſcutit cum *Sili & Narbo gallico*, aceto exiguo addito — Faſtidia abſtergit, concoctiones adjuvat, cruditates detrahit, cum ruta & pipere & ſale — Stomachum corroborat, & ob hoc ſapor ejus in vina transfertur, Plin. ib.
v. 24. Qui augiæ ſtabulum purgavit.

Quid præſtet mea planta boni Venus ipſa fatetur;
Nec Dea tam dulcis dulcia ſola probat.
Illa meis prudens aſpergit gaudia ſuccis,
Et cum lætitiis miſcet amara ſuis.
Scindimur herboſæ ſtudia in contraria gentes,
Atque habet authores factio quæque ſuos.
Sunt quæ defendunt Epicuri dogmata plantæ,
Quæque voluptatis læve ſequuntur iter,
Et gaudent dulces populariter edere fructus,
Et cingunt lætum florea ſerta caput.
At pars Zenonis rigidam colit altera ſectam,
Virtutumque ferax & male culta cohors:
Nec pompas amat aut vana oblectamina ſenſus;
Feciſſe officium, non placuiſſe, juvat.
Et nulla in terris magis eſt me ſtoica planta,
Cauliculo fulta eſt porticus ipſa meo.
Delectent aliæ, noſtra eſt prodeſſe voluptas:
Gratia tarda quidem, ſed mihi longa venit.
Utilis eſt cenſor corruptæ aſperrimus urbi:
Talis ego, & talis tu, Cato noſter, eras.
Nec feritate tamen nec vindice fulminor ira;
Prudentem iraſci cum ſchola noſtra vetet.
Nulla magis noſtris compeſco crimina regnis,
Et fugit aſpectum bilis amara meum.

v. 34. — Non eſt dea neſcia noſtri
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem,
Catul.

v. 54. Abſinthium quod in venis bilioſum eſt per urinas expurgat, Fernel.

Me simul ac videt ingressam stomachoque receptam
Acria non humili bella parare modo.
Nec venis nec mille remotis ausa latebris
Fidere, postico territa quærit iter.
Et sequor & fugienti insto; vestigia fumant,
Et via fervet adhuc qua ferus hostis abit.
Nec minus undantes exhaurio corpore fluctus,
Advena diluvium cum meditatur hyems.
Nec magis obscœnas belga exsiccare paludes,
Aut cursum obstantis vertere doctus aquæ.
Sæpe etiam obstructis renum canalibus arctis
Ad fontes refluunt flumina salsa suos.
Prodigium infelix! vicinis undique membris
Turbatur, totis & trepidatur agris.
Quid vos ignavæ (sic increpo) sistitis undæ?
Mecum ite, en vobis rumpere claustra paro.
Rumpo; patent; notasque suus vehit alveus undas:
Lætantur magno membra levata metu.
Cannibales toto pello de corpore vermes;
Justaque cum fœda prælia gente gero.
Vermis edax, certus post funera corporis hæres,
Differ adhuc epulas (nec mora longa) tuas.
Visceribus gens illa ferox pingueſcere gaudet
Infantum, & tenero læta cruore tumet.
Expectare piget donec mors præparet escas:
Præcipiunt avida fercula cruda fame,

v. 73. Ventris animalia pellit, Plin. ib. unde Anglice nomen obtinet.

Quid de pulicibus; vitæ ſalientia puncta,
Pulvereosque hoſtes enumerare piget.
Vix mihi majores vacat enumerare triumphos,
Et latitant numero multa trophæa ſuo.
Sæpe vagum toto diſpergitur æthere lethum,
Atque elementa ferox occupat ipſa lues.
Ægrotat tellus, ægrotat luridus aer,
Ægrotant alveis flumina lenta ſuis:
Et miſeros vaſtis mors una amplectitur ulnis;
Vitalis vitam (quis putet?) aura rapit.
Auxilia in tantis numen non pauca periclis,
Nec minimum è multis me dedit auxilium.
Et ſæpe una feror (nec ſum quoque maxima) planta
Bella elementorum ſuſtinuiſſe trium.
Non igitur fruſtra, nec, credo, ſine omine ſacro,
Cuncta ſubacturæ genti in honore fui.
Ipſe triumphalem victor certaminis hauſtum
Germine de noſtro (præmia magna) tulit.
Nobilibusque tenens ſpumantia pocula guttis,
Clamavit, merces iſta valere dabit.
Nec quod ſit guſtu minus illa placebit amaro;
Per quem jam vici ſic labor ipſe fuit.

v. 97. Sacris Pop. Romani celebratur peculiariter: ſiquidem Latinarum Feriis quadrigæ certant in Capitolio, victorque Abſinthium bibit. Credo ſanitatem præmio dari honorifico arbitratis majoribus, Plin. ib.

NYMPHÆA.

NYMPHÆA.

(*Nymphæa alba* LINN.)

Num me cœnoſas contentam habitare paludes,
Et miſtam plebi ſpernis arundineæ?
Non ego de vulgo viridi, neque filia terræ;
Incolo cognatas nobilis hoſpes aquas.
Nympha fui, Dea poſtremæ non infima claſſis:
Venit amor; quid tum profuit eſſe Deam?
Flammipotens jubet ille: accendor in Hercule viſo,
Totque triumphorum pars Dea parva fui.
Mirabar famam herois, fulgentiaque acta,
Membraque mirabar vel patre digna Jove.

v. 1. Nymphæa Heraclia Plin. Mater Herculana Apuleio, aliis Alga paluſtris, Papaver paluſtre, Clavus Veneris, in officinis aliquando Nenuphar, Anglice *Water-Lily*. Nymphæa nata traditur à Nympha zelotypia erga Herculem mortua, quare Heraclion vocant; aliqui Rhopalon, à radice clavæ ſimili, etc. Plin. lib. 15. 7. Neſcio qua autoritate ductus Calepinus hanc Nympham Dejaniram fuiſſe aſſerit, ſic enim ait: Quod Dejanira audiens, (nempe mortem Herculis, cujus ipſa autor innocens fuit) dolore percita Herculis clava ſe interfecit, ex cujus ſanguine poſtea nata eſt herba quæ Nymphæa & Heraclion dicitur. Hæc ille; quem ſecutus non ſum, cum quod Ovidius, cum mortem Herculis narrat, iſtius fabulæ non meminit, tum quod vix ſatis convenire cum Plinii verbis videatur: nam Dejanira neque proprie Nympha appellari poteſt; neque zelotypia, ſed dolore mortua eſt. Utcunque ſe res habet, licere mihi exiſtimavi fabulam pro voluntate mea concinnare.

Et me paulatim ſubiit ſcelerata cupido,
Ferre virum totum qui tulit ipſe Polum.
Verum equidem fatear, noctem mirabar & illam
Quinquaginta animas qua genuiſſe ferunt.
Nunc pudet, atque herbæ tam fœdos odimus actus:
Sed fuit eximiæ nox ea nequitiæ.
Ille meos (quid multa?) ferus decerpſit honores,
Ille meæ florem virginitatis habet.
At vagus ille Jovem faſſus levitate parentem,
Noluit unius tædia ferre tori.
Monſtra ſubacturus, pejoraque monſtra tyrannos,
Percurrit vindex ſedulus omne ſolum.
Sed ſemper monſtri merces fit virgo ſubacti,
Sed ſemper natas ille tyrannus habet.
Fœmineumque genus mihi jam pro pellice totum eſt.
Nec caruere ipſæ ſuſpicione Deæ.
Ne valeam, ſed & has mihi Sirius hauriat undas,
Et poſſim exuſta ſicca palude mori,
Junonis nomen fuerim niſi torta per ipſum,
Crediderem que odium ni ſimulare ſuum:
Forſan & ille meos (dixi) jam ridet amores,
Pellicibusque feror fabula læta meis.
Vexant ira, dolor, pudor, indignatio mentem;
His tamen invitis omnibus hæret amor.
Viſum eſt æterni niſi ſola morte doloris,
Ad finem certa quærere morte viam.
Fata obſtant, ſors obſtat amantum dura Dearum;
Infinitum urget vita perennis onus.

Interea lacrymas fundo noctemque diemque,
Hac mihi Clepsydra tempora longa fluunt.
Fit lacus è denso tandem mirabilis imbre,
Et collecta meos alluit unda pedes.
Siqua fides (magni quæ gloria tetra doloris)
Gaudebam luctus fertilitate mei.
At tandem ætheriis sero miseratus ab oris
Jupiter, ipsa tuas incole, dixit, aquas.
Jussit abire Deæ macro de corpore formam:
Jussa abiit; multum dempserat ante dolor.
Descendit terram radix nodosa sub altam.
Et nimium clavæ me meminisse facit.
Perpetuumque bibunt folia insatiata liquorem,
Ad dominam lacrymæ jam rediere suam.
Candor adhuc veterisque manent vestigia formæ,
Pallor adhuc nostro pristinus ore sedet.
Nunc equidem totos dego genialiter annos.
Crede mihi, plantæ turba beata sumus.
Nos sapimus melius solem & cœlestia dona;
Nos Zephyri mulcent, & tepida aura fovet.
Nectareos nobis calices Aurora ministrat,
Ambrosias nullo terra labore dapes.
Certe hominum miseret, quos mille incommoda vitæ,
Et ferus exercet, maxima pestis, amor.

v. 49. Marcellus eam Clavam Herculis appellat.
v. 53. Duo sunt genera, quorum unius flos luteus, alterius candidus est.

Non ignara mali, veterumve oblita dolorum,
Extinguo flammas, fæve Cupido, tuas.
Victoremque meum tandem viciſſe triumpho.
Injuſta has juſtum eſt regna ſubire vices.
Ne te mireris victæ ceſſiſſe, cupido,
Me meus Alcides vincere monſtra docet.
Et nè forte tuo credas, hilariſſime nequam,
Non niſi deformes poſſe carere jugo;
Ipſius & vultus noſtra medicamen in herba eſt,
Et ſe formoſam ſponte pudica videt.
Et faciem Veneris tribuo moresque Dianæ,
Atque in tutela numen utrumque mea eſt.
Sed ne forte ſuas alieno nomine flammas
Occultet fævus (nec caret arte) Deus;
Inſtitui nullos non debellare calores:
Odi omnes; hoſtem me calor omnis habet.

v. 64. Eos qui biberint eam duodecim diebus coitu genituraque privari, Plin. ib. Venerem in totum adimit Nymphæa Heraclia ſemel pota in quadraginta dies. Inſomnia quoque Veneris à jejuno pota & in cibo ſumpta. Illita quoque radix genitalibus inhibet non ſolum venerem, ſed affluentiam genituræ; ob id corpus alere vocemque dicitur, Plin.

v. 71. Illita maculas omnes & vitia tollit —— Alopecias emendat Nymphææ & Cicutæ radix, ſi una tritæ illinantur, Id.

v. 77. Nymphæa tota refrigerat ordine ſecundo [illegible]ns radix atque ſemen exiccat, flos humectat, easque [illegible] fronti admotus, capitis ex bile dolorem lenit, ſomnum conciliat, ſumptusque omnem extinguit ardorem, Fernel.

Seu furialis, uti ſupera in regione cometes,
Occupet inſanum flamma inimica caput;
Seu vaga perrumpat ventris fornacibus imi,
Et fumos corpus ſpargat in omne ſuos;
Seu phlegetontæas accendant ſulphure venas,
Seu ſtringat ſummam mitior illa cutim:
Qualiscunque meis metuit concurrere ſuccis,
Perque poros omnes exanimata fugit.
Quid nictas? quid dimidio me lumine ſpectas?
Sentio, vim radix noſtra ſoporis habet.
Et puto tam longus ſomnos inducere poſſit
(Si vis illa abſit) ſermo. Viator, abi.

ASPLENUM.

(*Aſplenium Scolopendium* LINN.)

Nec caulem natura mihi, nec floris honorem,
Nec mihi vel ſemen dura noverca dedit,

v. 1. Aſplenum multis nominibus noteſcit. Græce Ἀσπλήνιον (quod ſplenem diminuat) Σπλήνιον Σκολοπένδριον, (propter ſimilitudinem Scolopendræ vermis) Ἡμιόνιον, & Theophr. Πτέρυξ (quod ex filicum genere videatur eſſe) Lat. Splenium, Scolopendrium, Scolopendra, Mala Herba, & Ceterach pharmacopolis. Anglice *Spleenwort*, *Milt-waſt*. Aſplenum, ſunt qui Hemionium vocant, foliis orientalibus multis, radice limoſa, cavernoſa ſicut filicis, odida, hirſuta. Nec caulem nec florem nec ſemen habet. Naſcitur in petris parietibusque opacis, humidis; laudatiſſima in Creta, Plin. lib. 27. 5.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0073
DFG

Nec me ſole fovet, nec cultis creſcere in hortis
Conceſſum, & foliis gratia nulla meis.
Herba inviſa Deis poteram cœloque videri,
Et ſpurio terræ nata puerperio.
Gens hominum ſpecie rerum captatur inani,
Atque oculis mentem tradit inepta ſuis:
Pauperibusque horti nunquam patet area plantis;
Scilicet his regnat picta Tulippa locis.
Non ita Dii: Phœbus me præfert mille Tulippis,
Et Cous Phœbo proximus arte ſenex.
Nam cum membra ſuis diviſit finibus autor,
Imperiumque herbis certaque regna dedit,
Tum mihi præ reliquis provincia dura tributa eſt,
Moribus ille ferox indomitusque lien.
Comprimo luctantem, ſævoque humore tumentem.
Aggeribus crebris obſtruit ille vias,
Nequicquam; perrumpo aditus, commercia reddo,
Et via per ſplenem libera tota patet.
Ni faciam, ſine more furit, dirumque vaporem
Victor & horribilem ſpargit ubique luem:

v. 16. Hujus foliorum jure in aceto decocto per dies quadraginta poto lienem abſumi ajunt. Ib. Ille dubitanter; audacius Fernel. Nulla ſaporis inſuavitate folio ſolo lienem diebus quadraginta abſumit, fœdumque ex obſtructione colorem detergit, atque calculos etiam in veſica comminuit. Et alibi, ſyrupus Scolopendrii craſſam terrenamque melancholiam extenuat, mollit, fluxamque reddit, lienem obſtructione liberat, tumentemque ſolvit; melancholiæ, quartanis diuturnisque febribus apprime utilis.

Purpureos animæ crudeliter inficit amnes,
Deque venenato flumine vita bibit;
Et ſumma immundi depaſcunt corpora morbi,
Et facies lethi concolor omen habet.
Hinc lacrymæ curæque malæ, vigilesque labores,
Et dolor, & præcox carnificina metus:
Hinc laquei deformis amor, præreptaque fato
Mors placet; hinc vitæ tædia longa brevis.
Monſtra piæ, precor, avertat tam turpia genti
Jupiter, atque herbæ vis operoſa meæ.
Non male Trajanus fiſco aſſimilare lienem
Conſuevit; corpus, cum tumet ille, macrum eſt.
Quid rides? num romanæ quod neſcia non ſim
Hiſtoriæ? ſtipes, non ego planta forem,
Tempore tam longo ſi tot doctoribus uſa,
A tantis poſſim nil didiciſſe viris.
Et didici, & proferre tibi miracula poſſem
Plurima; ſed nunquam garrula planta fui.
Propoſitum ut repetam; Multis animalibus ipſa
Immodici abſumo triſte lienis onus.
Creta quidem mendax, ſed & illi credite, grates
De porcis referat cum mihi Creta ſuis.
Splene tumente gravis durisque laboribus impar,
Implorat noſtram pauper aſellus opem.

v. 43. Vitruvius ait in Creta, ubi magna copia naſcitur Aſplenum, porcos ἀσπληνας, i. e. ſine ſplene inveniri. Dicuntur & aſini ſplene laborantes eodem ſeſe curare.

Ille mea paſtus (miſeret nam pauperis) herba,
Aſſuetum repetit lætus & acer opus.
I nunc & vanos florum mirare colores,
Deliciasque breves, purpureamque fugam.
Formoſi lætique virent (quis denegat?) illi;
Nos triſtes formam lætitiamque damus.

LACTUCA.

(*Lactuca ſativa* LINN.)

Auguſtum ſanaſſe olim quod diceris ægrum,
Quidam inter laudes hoc poſuere tuas.
Naſone infamem pulſo & Cicerone necato
Certe ego te nollem reſtituiſſe virum.
Sed puto tu neutrum noſti, mundique tyranno
Non miror ſi ſis gratificata libens.
Utilis ipſa quidem es cunctis medicina tyrannis;
Et rabies ſacro frigore tacta fugit.
Cinge, precor, caput illorum meliore corona,
Inque illis mundo, ſi potes, affer opem.
Ipſe tuo quondam juſſu de corde peruſto,
Ipſe tyrannorum maximus exit amor:
Falſus amor; neque enim tentas expellere verum,
Qui titulum juſti regis amandus habet.

v. 1. Divus certe Auguſtus Lactuca conſervatus in ægritudine fertur prudentia Muſæ Medici. Plin. lib. 19. 8.

Inviſus merito eſt tibi Sirius ille Cupido,
Qui necat igne herbas, & fera monſtra parit.

Eadem.

Adde oleum panemque mihi, nec deinde queraris
Pauperiem æſtivis menſibus eſſe gravem.
Has epulas habuit teneri gens aurea mundi,
Et cœnæ ingentis tunc caput ipſa fui.
Semideumque meo creverunt corpora ſucco,
Materiam tanti ſanguinis ille dedit.
Tunc neque fraus nota eſt, neque vis, neque fœda libido:
Hæc nimii proles ſæva caloris erat.
Sit ſacrum illorum, ſit deteſtabile nomen,
Qui primi ſervæ regna dedere gulæ.
Hinc vitiis patefacta via eſt, morbisque ſecutis
Se lethi facies exeruere novæ.
Ah! fuge crudeles animantum ſanguine menſas,
Quasque tibi opſonat mors inimica dapes.

v. 19. Lactuca tum admota tum ſumpta cum cibo acres demulcet humores, deſipientiam ſedat, vaporisque ſuavitate ſomnum conciliat, idque blande & citra offenſionem ullam, Fernel. Et alibi, frigida eſt initio tertii, humida ſecundo, idque ſimpliciter, citra aſtrictionem aut ullius qualitatis exceſſum, crudaque eſtur; aquæ frigidæ modo refrigerat, ventriculi & præcordiorum æſtum compeſcit, bilem fervidioremque ſanguinem frænat; neque tamen ut aqua emollit, aut ventriculi præcordiorumve robur ſolvit; ſed nulla offenſione pro ſucco fervido temperatiorem profert, eumque benignum ac probum. Ea temperatione ſomnum accerſit, Veneris inſomnia coercet; ad quæ etiam ejus ſemen uſurpari ſolet.

Poſces tandem æger, ſi ſanus negligis, herbas.
Eſſe cibus nequeunt? at medicamen erunt.

EUPHRASIA.

(*Euphraſia officinalis* LINN.)

Ingredere, o, oculos, hoſpes dulciſſima, noſtros;
Ingredere, & vati grata medere tuo:
Si bene de vobis merui, ſi carmine in iſto
Plantarum ſtabili flore perennat honos.
Talibus orabam recubans in gramine mœſtus,
Cum ſubito ad noſtros aſtitit illa pedes.
Mirabar Funginum ortum tam nobilis herbæ;
Nam nec eam vidi, nec, puto, ibi ante fuit.
Dodrantalis erat fuſco velamine caulis:
Crenatæ frondes ſubviridesque tegunt.
Stipite de medio lepide flos emicat albus,
Quem flavi tractus purpureique ſtriant.
Agnoſco Euphraſiam bello cum nomine bellam;
Patronæ arrident lumina læta ſuæ.

v. 31. Quidam Eunuchion vocant, quia hæc maxime refragetur Veneri. Eſt quidem natura omnibus refrigeratrix — Peculiares earum vires ſomnum faciendi Veneremque inhibendi, æſtum refrigerandi, ſtomachum purgandi, ſanguinem augendi, etc. Semini trito ex vino poto libidinum imaginationes in ſomno compeſci, Plin.

v. 1. Anglice *Eye-bright*. Veteribus ignota erat. Herba oculorum uſibus, iisque (quod ſciamus) ſolis à natura deſtinata: eos autem mirifice & ſuper alia omnia juvans.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0078
DFG

Prodigium, ecce, novum! mihi flore & ſtipite toto
Annuit, & viridi talia voce refert,
Submiſſe; namque eſt herbis mos ille modeſtis,
Nec rauca arboreæ murmura gentis amant.
Florentis vates (ſic incipit) unice mundi,
Fortia frondoſæ qui canis acta domus.
Non cuivis voces herbarum audire tributum eſt:
Hoc tibi planticola pro pietate datur.
Non hominum ingratos imitamur germina mores,
Queis vatum æternus nullo in honore labor.
Vellem equidem radix poſſit tibi noſtra mederi;
Nec dubium eſt cives hoc quoque velle meas.
At ſi naturæ culpa immedicabilis obſtat,
Heu! nihil herbarum natio tota juvat.
Naturæ nobis haud juſſa infringere fas eſt:
Servimus; domina eſt; quod lubet illa facit.
Gaude ſiqua dedit, ne iraſcere ſiqua negavit:
Crede mihi, parca eſt illa benigna manu.
Sed cum debilitat morbi vis improba viſum,
Aut vinum, aut cæcus, luminis oſor, amor,
Aut crapula, aut curæ vigiles, aut putridus aer,
Aut quæ præterea millia multa nocent;
Tunc ego non fruſtra poſcor: quot fundimus hoſtes,
Quas ferimus pugnas ſi numerare velis,
Ante bonus verſa me proluet Heſperus urna,
Et requieturos nectare paſcet agros.

Sæpe ferox capitis decurrit vertice flumen,
Et se salsum oculi dulcibus addit aquis.
Qui solet esse alibi lacrymarum fertilis autor,
Hic dolor à lacrymis nascitur ipse suis.
Sæpe tument albæ peregrino sanguine venæ,
Et domus accensa est hospitis igne novi.
Ah! cave ne subito parvi sol occidat orbis,
Lumine sanguineo cum furiale rubet.
Sæpe obversantur fumi muscæque vagantes,
Et nebulas inter ludicra monstra volant.
Fume, quid hic facias? nullos prope cernimus ignes:
Quidve (malum!) hic sibimet musca molesta velit?
Sæpe nivis falsæ obruitur caligine visus,
Atque induta albam nox venit ipsa togam;
Distantumque olim simulachra fidelia rerum
Sæpe alio, nullo sæpe colore micant.

v. 41. Epiphora, sive salsus & acris humor è vertice & sincipite lacrymarum specie defluens.

v. 45. Ophthalmia, sive lippitudo Celso, inflammatio adnatæ tunicæ à sanguine acri & bilioso orta, cum rubore, ardore & lacrymis, & magna distensione venarum.

v. 49. Suffusio, Ὑπόχυσις, Humoris præter naturam vel in pupilla vel inter rhagoidem tunicam & crystallinum humorem concretio. Principio fumi tantum & vapores obversari ante oculos videntur; postea muscæ & alia simulachra, pro diversa figura suffusionis.

v. 53. Leucoma, Albugo, alba macula in cornea, tandem totam occupans & obcœcans.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0080
DFG

Quid memorem Ægilopas & Carcinomata fœda?
Phlyctænasque graves, aut Epicauma ferox?
Innumerasque ipso metuendas nomine pestes?
Et te cui nomen fistula dulce nimis?
Hæc ego cuncta domo: quacunque iter æthera purgo;
Nubila diffugiunt, subsequiturque dies,
Et ridit lætus diffuso lumine vultus.
Quantum, ô, lætities illa decoris habet?
Scis nostrum Arnoldum (si Arnoldum legeris unquam)
Vel cæcos opibus restituisse meis.
Restituit certe, & mea multum cognita virtus
Prodigio in tanto debet habere fidem.
Ille quidem foliis (bene miscens utile dulci)
Tingere vina jubet (tingite vina) meis.
Illa dabunt vere tibi lucem & pocula sacra;
Illa dabunt munus lætitiamque dei.
Illa puer trulla fundat tibi vina capaci;
Posce, & amicarum nomina tota bibe.

v. 57. Tumor inter majorem oculi angulum & radicem nasi, qui nondum ruptus Anchilops vocatur, ruptus Ægilops.

v. 57. Carcinomata, cancri, tumores duri, inæquales, cum dolore (quo distinguuntur à Schirris) ab atra bile nati, qui aliquando in ipso oculo oriuntur.

v. 58. Vesicæ parvæ aqua plenæ ab acri & serosо humore ortæ, à ferventis aquæ bullis, quæ φλύκταιναι vocantur, similitudinis causa nominatæ, quæ in cornea & adnata tunica frequenter ebulliunt.

v. 58. Velut ex igne facta crustulosa ulceratio nigro oculi adveniens.

v. 60. Σύριγξ κόλπος, sinus angustus & longus in quo fistulam repræsentat, Ægilopa consequens.

v. 65. Arnoldus de Villanova, libr. de vinis.

Et, bene vos oculi, dicas, oculisque propines;
Illi (crede mihi) pocula noſtra bibent.
Sed nimium ceſſamus: Abi; non immemor eſto;
Et mea victuro carmine dicta refer.
Dixit, & avertens feſtina evanuit herba,
Lector, habes vera dicta relata fide.

VESICARIA.

(*Phyſalis Alkekengi* LINN.)

Sæpe mihi (ut mos eſt) tacitæ non pauca putanti,
Et pudor & mentem nobilis ira ſubit.
Plantarumque genus (niſi queis præcordia Titan
Effinxit paucis de meliore luto)
Indignor non poſſe hyemem nec frigora ferre,
Sed plusquam humana vivere mollitie.
O fruſtra patre ſole & terra matre creatas!
Semper & hæc fixa eſt, ſemper & ille viget.
Mirum delitiis ni cedant tempora noſtris,
Pellaturque anni finibus exul hyems.

v. 1. Veſicaria, Halicacabus, Alkekengi Arabibus, anglice *Winter-Cherries*. Siqua planta ſignaturam officii ſui à natura impreſſam gerit, hæc profecto illa eſt, cujus fructus & veſicam & calculum in ea concluſum manifeſte refert. Eſt autem è Solanorum (σφύρων) genere: Quorum alterum (inquit Plin. lib. 21. 31.) cui acini coccinei, granoſi folliculi, Halicacabum vocant; noſtri autem Veſicariam, quoniam veſicæ & calculis proſit.

Nos Deus Elysiis mirum ni conserat hortis,
Ne stringat teneras aura molesta comas.
Scilicet Halcyones fumus, & producere fœtus
Haud lubitum est, toto ni sit in orbe quies.
Nec tantum hæc parvas ignavia possidet herbas,
Nec repit semper dedecus illud humi:
Patricias Ulmos, Quercusque effœminat ipsas,
Atque anima in duro cortice mollis inest.
Nec pudet hæc virides sibaritica vita gigantas;
Æstate in cœlos scandere velle putes.
Eia! actum est, illis tergum si verterit annus.
Eia! sub terram vita gigantis abit.
Hic jacet, ingenti possis inscribere trunco.
Proh pudor! Hic jaceas: sit tibi terra gravis.
Ast Ego, quæ fruticis vix ausim assumere nomen,
(Quanquam illud dederit Plinius ipse mihi)
Provoco terribilem pulchro certamine brumam:
Impavidam feriet si polus ipse ruat.
Bruma venit, ventique mihi pluviæque minantur;
Armata innumero milite bruma venit:
Tunc fructus produco meos; ante ora tyranni
Expono, & dico, nunc age, siquid agis.
Funde tuos imbres; saturatas murice baccas
Incocto nullis diluit imber aquis.

v. 25. Frutex est surculosus verius quam herba, folliculis magnis latisque & turbinatis, grandi intus acino, qui matureſcit Novembri mense, ib.

Funde nives; nivibus reniteſcit purpura junctis,
Et rubrum in puro vaſe toreuma placet.
Sic prodeſt labris albi vicinia dentis,
Sic decorat roſeas candida forma genas.
Hiſce rudimentis morbos victura rebelles
Virtutem induro conſolidoque meam.
Sic didici immenſo perrumpere ſaxa labore,
Et tyrocinium mite fuit glacies.
Non etenim ſolas (cum de male fortibus herbis
Hoc faciant aliquæ) vis mea pellit aquas:
Sed lapides duros ſilicumque obſtacula rumpo:
Vix penetret tales Hannibal ipſe vias.
Ah nimium infelix ſcopulum qui impingit in iſtum,
Jactaturque ſuis naufragus æger aquis!
Ah miſer, indigenæ qui urgetur pondere ſaxi,
Et dignus quem vel Siſyphus ipſe fleat.
Ah quantum extinctis, quantum invidet ille ſepultis,
Impoſitus tantum cum premit oſſa lapis?
Huic Ego non ferrem auxilium? mihi terra dehiſcat,
Si tantum dicar non miſerata malum.
Tunc ego de dura genitam me rupe fatebor.
Et ſilicum venas caulis habere loco.
Sed miſereſco equidem, molemque liquore reſolvo
Caucaſeam; impulſu diffilit illa meo.
Obſtructumque diu prono ruit impete flumen,
Et ſecum adverſæ fragmina rupis agit.

ROREL LA.

(*Droſera rotundifolia* LINN.)

Pol tibi ſe præbet nimium natura benignam,
Et vitæ tempus dapſile mollis habes.
Flos micat argento, tegitur lanugine corpus
Purpurea, & venis aureus humor ineſt.
Necnon in calicem folium tibi quodque cavatum eſt:
Et potu nunquam non tumet ille calix.
Exſiccare illum non comeſſator Apollo,
Non acris potor Sirius ipſe valet.

v. 1. Rorella, Ros ſolis, Rorida & corrupte apud vulgus Roſa ſolis, anglice *Sun-dew*. Quæ nomina ſortita eſt quod magno naturæ miraculo, rore ſempe- madeſcat, & tum maxime cum ſol ferventiſſimus eſt, quaſi ab ipſo ſole ros in eam dilaberetur: itaque meridie colligi jubent. Alio nomine anglice *Luſtewort* appellatur, quia pecudes ex illius eſu incendi libidine credunt. Veteribus nota non erat, itaque græcum (miſella) nomen non habet. Ex ea liquor ille fit ſatis vulgaris, multique uſus, Roſa ſolis dictus; nam & omnibus affectionibus cordis ac pulmonum auxiliatur, & corpus tabeſcens reficit reſtauratque. Folia illi rotunda cavaque, ſubviridia, ſed operta lanugine purpurea, pediculo etiam rubro & lanuginoſa inhærentia, ſemper liquore vel lentore potius quodam tincta, interque ea parvuli rubicundi caules exſurgunt, quaſi clavos quosdam candidos pro flore ferentes, in quibus ſemina continentur; radix capillaris. Aqua ex ea ſtillatitia flavi coloris eſt, eoque argentum tingit, ſi immergatur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0085
DFG

Arentes circum despectas turgida campos,
Fluminibusque ipsis invidiosa mades.
Et bibis, & rides sitibundos improba menses:
Hydra rebullit aquæ prodigiosa novæ.
Te tuus irrorat Nilus de fronte latenti,
Et jubet invito luxuriare Jove.

De Eadem.

Abjectis hinc sume Hederis tibi, Bacche, coronam;
Hæc est temporibus dignior herba tuis:
Copia quam diti perfundit lubrica cornu,
Hæres perpetuum copia facta sibi.
Sic, tu, Bacche, bibis, sic non frugaliter hauris,
Exhaustusque tibi se cadus ipse replet.
Sic tumet epotus renovato nectare crater,
Ambrosias celebrat cum Jovis aula dapes:
Nec labor est Phrygio calices implere ministro,
Succurrit sibimet pro Ganymede calix.
Sic bina ansati pulcherrima pocula cordis
(In quibus ipse animus vitam animamque bibit)
Pocula divinum divini opus Alcimedontis,
Purpureo spumant semper onusta mero.

v. 25. Duo ventriculi cordis.
v. 27. Virg. eclog. 3.
——— Pocula ponam
Fagina, cœlatum divini opus Alcimedontis.
Quod nomen Ἀλκιμέδοντος non minus quam ὑψιμέδοντος, quod Homero frequens est, Deo convenit.

Natura abſumit ſine damno prodiga cenſum;
Vena micans aufert, vena quieta refert.
O radicalis plantæ prædivitis humor!
Quid mirum ſi tu languida corda foves?
Corpora quid mirum ſi tabeſcentia ſiſtis,
Membraque non vano glutine firma tenes?
Quid mirum dubiæ nictantem lampada vitæ
Tam vivaci oleo ſi renovare datur?
Quid mirum ſi grata venis pulmonibus herba,
Et nunquam exhauſtis ſpongia gaudet aquis?
Grata ades & Veneri merito, quæ plena caloris
Intus, & externo toſta calore, mades.
Hæc duo ſunt elementa libidinis ipſa, calorem
Illa animæ, humorem corporis inſtar habet.

CYCLAMINUS.

(*Cyclamen europæum* LINN.)

Sanguine ſtillantem naris quæ occludere venam,
Poſticæ partis venam aperire ſoles,
Nec rationis eges; nam jure Patulcius hujus,
Alterius debet Cluſius eſſe loci.

Eadem.

Ecco ſuperbit ovans generoſa vite fugata,
Et capite inflato vile tumeſcit olus:

v. 1. Κυκλάμινος, Ἰχθυόθηρον (quod piſces devoratum necet) Cyclaminus, vel Cyclaminum, Tuber terræ, Rapum terræ, Umbilicus terræ, Malum terræ (quod nomen Ariſtolochiæ frequentius attribuitur) Rapum porcinum, Orbicularis, & in officinis vocatur Cyclamen, Panis porcinus, Artanita, anglice *Sow-bread*. Folia habet minora quam hedera, nigrioraque, & tenuiora, ſine angulis, in quibus albicant maculæ, caule exiguo, inani, floribus purpureis, radice lata, ut rapum videri poſſit, cortice nigro. Naſcitur in umbroſis: noſtris Tuber terræ vocatur, in omnibus ſerenda domibus, ſi verum eſt, ubi fata ſit, nihil nocere mala medicamenta. Amuletum vocant, Plin. libr. 25. 9. Et, in vepribus naſcitur Cyclaminum; flos ejus coloſſinus in coronas admittitur.

v. 2. Siſtit profluvium naris, atque ejusdem aperit venas hæmorrhoidas ſuccus in lana applicatus.

v. 3. Nomina Jani, Ovid. faſt. 1. Quod,
Omnia ſint ejus clauſa patentque manu.

v. 5. Ipſum olus quo vitis fugatur adverſum Cyclamino tæſcit. Plin. lib. 24. 1.

Victricem regum debellat ruſtica plantam
Braſſica; ſed prope te ſtare miſella nequit.
Nempe cibum medicamentis decedere fas eſt;
Inſervit morbis ille, ſed iſta fugant.
Non alias herbas moreſve imitaris avara
Humanos, quorum mors benefacta facit.
Ipſa tua frueris virtute, & viva videnſque
Exerces; horto tu medicina tuo.

Eadem.

Docta mihi dederit cum Græcia nomen honeſtum,
Quod meruit folii bella figura mei,
Gens inimica novum cuderunt pharmacopolæ,
Queis græcæ vocis nec ſonus ipſe placet.
Fœdorumque (nefas!) animantum injuria noſtros
Indigno titulos ſtigmate inuſta notat.
Non ego tam porcis, quam vobis præbeo panem;
Vos eſtis porci quos ego ſemper alo.

Eadem.

Ulcera deſicco putri manantia tabo,
Mollitiesque cuti non aliena redit.

v. 15. Ἀπὸ σῦ κύκλου, à circulo, quia & folium & radix rotunda ſunt.
v. 17. Panis porcinus, quod à porcis mire appetatur.
v. 25. *Cyclamini* radix vel per ſe vel ex aceto vel cum melle ſanat manantia ulcera, & contra ſteatomata efficax, Plin. lib. 26. 14.
v. 26. Qualis eſt ulcerum mollities.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0089
DFG

Nec mihi duritie vari panique reſiſtunt,
Nec ſe munit aqua, nec ſatis igne tumor.
Non ambuſtorum patior veſtigia fœda,
Vibicum infames nec remanere notas.
Nec florere diu picta exanthemata poſſunt,
Nec turpes late creſcere lenticulæ.
Et vitiligo fugit, fugiunt & ephelides ipſæ,
A noſtro quamvis ortum habuere deo.
Nec patior vultu quicquam apparere puellæ,
Quo minus in ſpeculo gaudeat illa ſuo.
Fallor? an & mollem forſan minus obligo ſexum,
Quod miſeræ relevo parturientis onus?

v. 27. Vari, tumores duri & exigui ex frigido craſſoque humore quaſi in callum concreti.
Panus, phlegmone in adenum locis emergens.
v. 28. Neque ex pituita, ut œdemata (quorum etiam quædam hydroa vocantur) neque ex bile proveniens.
v. 29. Ambuſta ſanantur radice *Cyclamini* cum *Aizoo*, Plin. 36. 12.
v. 31. Puſtulæ, variolæ, morbilli.
v. 32. Subnigræ aut fulvæ faciei maculæ.
v. 33. Ang. *Morphew*; cujus tres ſpecies, alphus, melas, leuce.
v. 33. Ἔφελις Celſo cum ε ſcribitur, & ſignificat aſperitatem quandam mali coloris; hic autem intelliguntur Ἐφηλίδες Galeni & Hippocratis, quæ ſunt maculæ à ſole, ab Ἥλιος.
v. 37. Gerardus noſtràs, herbarius diligentiſſimus, dicit ſe experientia comprobaſſe, folia *Cyclamini* pudendo immiſſa facilem partum reddere: alii, radicem etiam adalligatam id præſtare.

Eadem.

Igne meo falsum icterici consumitur aurum:
(Vix equidem vero plus nocuisse datur.)
Per me posticis ductus canalibus ater
Sanguis abit, fœda dignus abire via.
Flaventem bilem, pituitam pellimus albam;
Frustra & uterque color chara metalla refert.
Pellimus ex oculo nubem & meteora maligna,
Et parvo obscurat quicquid in orbe diem.
Pellimus articulis sævi mala semina morbi,
Quæque habet infelix uda elementa dolor.
Pellimus & spinas, infixaque corpore tela
Tracta stupent nulla se remeare manu.

v. 39. Icterum sanat, qui & aurigo dicitur, & morbus regius, forte ab auro rege metallorum. *Cyclaminus* calida & sicca tertio gradu; radix in usu est; incidit, terget, aperit, digerit, resolvitque, lienis durities & tumores fotu aut illitu persanat: tum recens tum aridus arquatum sistit, & bilioſum sudorem ciet, Fernel.

v. 41. Hæmorrhoidas aperit.

v. 43. Bilem & pituitam purgat.

v. 45. Ad hypochysin & caliginem cyclaminon in pastillos diluunt, Plin. lib. 25. 12. *Meteora*, nempe albuginem, qui crassus est & albus in cornea meteori instar concretus humor; item alia mala oculorum, quædam frigidorum, alia calidorum meteororum similia. Cum melle infunditur.

v. 47. Medetur podagræ, & membris luxatis, & pernionibus, etc. Plin. ib.

v. 49. Cyclamini radicibus cum melle omnia corpori infixa extrahuntur, Plin. lib. 26. 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0091
DFG

Parva loquor; membris depellimus omne venenum,
Et mors poſſeſſa cedere juſſa domo eſt.
Duraque creſcentes in vitæ incommoda fœtus,
Ac nondum miſeros, pellimus ex utero.
O ſcelus! exclamant omnes; num morbus habendus
Hoc ipſum naſci? credite, morbus hic eſt.
Si volumus vere rationem ducere, vitam
Reſtaurare minus, quam prohibere, bonum eſt.

LENS PALUSTRIS.

(*Lemna minor* LINN.)

Ingentem ranam conditam Lente paluſtri,
Eſſe dapem dignam vel Jove jurat anas;
Et quod tam lautam ſi doctus Apicius eſcam
Noviſſet, vel adhuc viveret ille libens.

v. 51. Ex vino bibitur denariorum duum pondere contra ſerpentes omnes, Id. lib. 25. 9.

v. 53. Suum tamen venenum ei eſt, traduntque, ſi prægnans radicem transgrediatur, abortum fieri, ib. Succus ventri illitus alvum ſubducit, ſed fœtum interimit, *Heurnius.*

v. 1. *Lenticula paluſtris.* Anglice *Ducks-meat.* Eſt & paluſtris Lens per ſe naſcens in aquis non fluentibus, refrigeratoriæ naturæ, propter quod collectionibus illinitur, & maxime podagris, & per ſe & cum polenta, glutinat & interanea procidentia, Plin. lib. 22. 25. Lentic. paluſt. frigida & humida ordine ſecundo, collectionibus calidis, podagris & igni ſacro commode illinitur cum polenta, Fernel.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0092
DFG

Non ſumus ergo nihil, nec pondus inutile ſtagni:
Sed (mihi crede) anatis non ego nata gulæ;
Nec virides conſtravit aquis natura tapetas,
Futilibus ranis gratificata parens.
Naſcor ad humanæ non vilia commoda vitæ,
Quæ latuere diu nunc quoque multa latent.
Currit in exiguo doctorum induſtria circo;
Et ſpatium anguſte clauſa recurrit idem.
Germina quid memorem vaſtum diſperſa per orbem
Quæ ſcitur, pars eſt quam prope nulla mei?
Curtum aliquid ſcitur: majoraque dicere vellem,
Sed Phœbus, ſed me fata ſilere jubent.
Pauca loquar: toſto liventes ſanguine cancros,
Et flavæ prolem bilis eryſipelas,
Corporis & fiſſi parvas extinguimus ætnas.
Quocunque erumpat fomite flamma vorax.
Frigore natali & genitalis viribus undæ,
Quo ſim nata loco, quaque parente, probo.
Cumque dolore truci & ſubjecto corporis igne
Articulorum ollis clauſa rebullit aqua,
Frigida ferventem compeſcit noſtra lebetem,
Et rore aſperſus detumet ille furor.

ROSMARINUS.

(*Rosmarinus officinalis* LINN.)

De Morsu Tarantulæ.

Sedula, nec telis vel adhuc cessura Minervæ,
Impendens operi viscera & ipsa tuo,
Unde lepos oritur tibi, Arachne daunia, sævus?
Unde vacas tristi ridiculoque malo?
Unde vel ingenium mœstæ joculare nocendi,
Seria vel mortis ludicra pestis agis?
Ille furit quicunque tuo vix tangitur ictu:
Vulnera vix sentit, sed tamen ille furit.

v. 1. Epiphanius Ferdinandus, qui in hujus admirandi morbi natura & curatione diligenter laboravit, quinque remedia experientia comprobata commendat, quorum secundum est quinta essentia Rosmarini; & quam sit sane capiti salutaris (quod præcipue hoc veneno afficitur) omnes sciunt.

Tarantula ex phalangiorum seu araneorum genere est, à Tarento urbe celeberrima Apuliæ nominata, qua in regione frequens est; in sulcorum squallore latitans (inquit Scaliger) imprudentes vel messores vel venatores pungit: eam ob causam interfuit indigenarum munimenta pedum excogitare; itaque ocreolis calceati metunt.

Quia Arachne per invidiam Minervæ in araneam conversa, admirabilius jam, ut ait Ovid.

—— Antiquas exercet aranea telas.

v. 3. Daunia, i. e. Apula, a Dauno avo Turni, Pilumni & Danaes filio, qui in Apulia regnavit. Est & fluvius in Apulia Daunus nomine.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0094
DFG

Exiguique atomus non percipienda veneni
Mox victrix toto corpore vasta sedet.
Occupat arcanis mentem in penetralibus ipsam,
Et captam miseris raptat acerba modis.
Hic silet, ille altis clamoribus æthera rumpit;
Hic stolide astantes verberat, ille timet:
Solvitur hic lacrymis, quassatur & ille cachinnis:
Mille habitus idem, mille habet ora furor.
Omnes una tenet saltandi dira voluptas,
Nec datur ulla quies; nocte dieque tenet.
Nam pulsis simul atque resultet musica chordis,
Aut magicos reddat tibia plena sonos,
Saltat anus tristis, saltat lethargicus æger,
Saltat inæquali claudus & ipse pede.
Ipse potest, hilari correptus membra veneno,
Saltando Satyros pene necare senex.
O misera, & cantu Sirenum digna chorea,
Cum faciat furiis mens agitata modos!
O designator ludorum pessime morbe!
O quantum hæc intus Pyrrhica pondus agit!

v. 19. Visi sunt à nobis languidi solutique in tantum accendi calorem ex Ascauli sono, ut saltando lassarent oculos spectatorum, Scal. Exercit. 185. Refert autem Epiph. Ferdinand. histor. 81. senem 94. annorum adeo debilem, ut nisi scipione innixus ambulare non posset, audita musica velut capreolum statim tripudiasse.

v. 26. Modi, mensuræ in cantando aut saltando observati; unde in omnibus inscriptionibus comœdiarum Terentii additum videmus, *Modos fecit Claudium*, aut alium.

v. 27. Qui ludis præest funebribus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0095
DFG

Talem ego, & ignoto cauſarum fonte fluentem,
Quid faciam, medici, tollere juſſa luem?
Namque ita me calidus juvet & conſervet Apollo,
(Qui ſanctum & vobis & mihi numen habet)
Obſcuri (ne vera negem) ſum neſcius ipſe
Æque vobiſcum quæ ſit origo mali.
Sed cordi & cerebro (mihi quæ provincia ceſſit,
Scitis, nec vobis dicere falſa juvat)
Agmina ſpirituum ſæpe auxiliaria mitto
Noſtrorum, & firmo milite caſtra novo.
Multaque ſe comites tanti bona germina belli
Jungunt; nec ſub me, credo, merere pudet.
Læta Meliphylla, & ſerpentum Ruta venenum,
Centaurea minor, Coryciusque Crocus.

v. 28. Laborioſa ſaltatio quam veteres integre armati exercuerunt, unde Ἐνόπλιος dicta. Vocabant *Pyrrhicam*, non à Pyrrho Achillis filio, tametſi ab eo ſaltatam ajunt, victo Eurypilo filio Telephi; quippe ejus pater Achilles ante ipſum dicitur ab Ariſtot. ad Patrocli rogum eam ſaltaſſe. Itaque πυρικὴν παρὰ τὴν πυρὸν Scal. lib. 1. Poetic. Sed ſcriptio priori etymologiæ magis favet.

v. 41. Meliſſa, anglice *Baum*. Læta, quod lætitiam pariat.

v. 42. Dicitur & Centaurium, & Centaurea Virg. plur. num. & Centaurea ſing. num. Duo autem genera ſunt, majus, & minus, anglice *Small Centory*.

Corycii preſſura croci, —— Luc.
Ultima corycio quæ cadit aura croco,

Mart. & omnes poetæ hoc quaſi ſolenni quodam epitheto utuntur. Corycus nomen urbis & montis in Cilicia, ubi laudatiſſimus Crocus naſcebatur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0096
DFG

Tuque à pellendis nomen ſortita ſecundis,
Quæ renuis vinctos carmine habere pedes.
Medica nec mihi Malus opem fulgentibus armis,
Nec mea chara ſoror Salvia ferre negat.
Nec Lauri Myrtive aut frondiferæ Tamaricis,
Aut Hederæ baccæ, Juniperive negant.
Celtica nec Nardus, nec dulcis Amaracus auræ,
Nec negat Abrotonum, nec negat Angelica.
Plantago, & ſacro cognomine Carduus adſunt;
Utilis Abſinthi clarus amaror adeſt.
Semen adeſt Daucique, Aniſique, albique Cumini;
Caſte tuum Vitex, pulchra Nigella, tuum.

v. 43. Ariſtolochia. Nicand. ε addit penultimæ, Ἀριστολοχεια, quam literam derivatio nominis optime admittit: ſed latini non ita ſcribunt. Anglice *Birth-wort.*

v. 45. *Media fert triſtes ſuccos tardumque ſaporem*
Fælicis mali, etc.
Virg. Georg. 2. Quod ego Citrum interpretor, quidam diſſentiunt.

v. 46. Soror, ſimul in iisdem hortis ſemper fere ſata, & iisdem prope facultatibus prædita.

v. 47. Frondiferæ, per excellentiam; nam dicitur à græcis Μυρίκη a Μυριος propter infinitam multitudinem minutiſſimorum foliorum. Anglice *Tamarisk-Tree, or Shrub.*

v. 49. Lavendula.
Majorana.

v. 51. Carduus Benedictus.

v. 53. Dicitur album vel propter colorem ſeminis, vel quod è vino potum pallorem gignat; unde à Perſio *pallens*, ab Horatio *exſangue* Cuminum, vocatur.

v. 54. Agnus caſtus officinarum.
Nigella, anglice *Gith*, ſicut etiam latine à Plinio appellatur. Μελανθιον.

Scorzonera venis sæclo non nota priori,
Tormentilla venis, & Rosa rubra venis.
Allia nec pudet, & graveolentes jungere Cepas:
Has ego dux acies instruo; signa canant.
Indignor stomachorque unum, quod musica mollis
Arroget hanc laudem præripiatque sibi.
Ut sunt mendaces, dicent verum esse poetæ,
Gratiaque hæc dominæ facta libenter erit.
At fovet insanos, non curat, (testor amantes)
Et dat stultitiæ longa alimenta brevi.
Hic debellando blanditur inepta tyranno,
Magnaque pars morbi est quod nimis illa placet.
Pars morbi est vano quod jactant membra labore:
Pars morbi est; casu sed labor ille juvat.
Nulla quiescendi loco sunt nec tempora pesti,
Motibus immodicis exagitata fugit.
Nos quoque naturæ se jam relevare paranti
Adsumus auxilio, porrigimusque manum.
Hoc aliquid certe est; sed casus scilicet ipse
Fit medicus, morbus fit medicina sibi.

v. 55. Non ita pridem hæc herba viresque ejus à servo Mauro in Hispania inventæ sunt; & ab effectibus aliis nominibus dicitur, Viperaria, Serpentaria, insigni virtute contra venena.

v. 59. Recte tu musica curari negas, labore namque & sudore tum vincitur tum expellitur venenum, *Scal.* exerc. 185.

MENTHA.

(*Menthæ* LINN. variæ ſpecies, *viridis*, *criſpa*, *ſativa* etc.)

Ambiguis, homines, moneo, ne ludite dictis:
Quis pudor humane grammaticeque loqui?
Si ne vulgentur myſteria veſtra timetis,
(Quæ bene curta via eſt) ſit tacuiſſe ſatis.
Quid tormenta juvant dubii crudelia ſenſus,
Quem ſubigit longus dicere falſa dolor?
Hæc ego jure queror; Veterumque oracula nigra
Stigmata inuſſerunt quam diuturna mihi?
Quot conjecturas movit ſententia turpes,
Tempore qua belli me vetuere ſeri?
Lectorem obſcuri dicti juvat eſſe malignum,
Ingenioque ſuo cuncta licere putat.
Hinc aliquis, Mentham bene mavors oderit (inquit;)
Dilectæ marti Mentha inimica deæ.

v. 1. Ariſt. probl. ſect. 20. Μίνθην ἐν πολέμῳ μήτ' ἔθιε, μήτε φύτευε ἢ ὅτι καταψύχει τὰ σώματα; δηλοῖ δὲ ἡ τὰ σπέρματα φθορά· τοῦτο δὲ ἀπεναύλιον πρὸς ἀνδρείαν καὶ θυμὸν, ταυτὸν ὂν τῷ γένει.

v. 13. Ut damna belli reſarciantur, eo tempore majorem liberis operam dare convenit, huic autem rei menthæ uſum dicunt eſſe alienum; quidam, quod arcana proprietate conceptionem in fœmina prohibeat; alii, quod in viris ſemen abſumat. Plin. hæc habet lib. 20. 14. Ipſa aceſcere aut coire denſarique lac non ſinit, quare lactis potionibus additur, ne hujus coagulati potu ſtrangulentur: datur in aqua aut mulſo, eadem vi reſiſtere & generationi creditum, prohibendo genitalia denſari. Alii addunt rationem dicti eſſe, quod abſumpto ſemine milites, eunuchorum inſtar, minus ſtrenui redduntur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0099
DFG

Mars generare homines, non tantum perdere, gaudet
  Officii prædam materiamque sui.
At venerem enervat semenque effæminat ipsum,
  Semimaresque facit Salmacis herba viros.
Adjuvat errorem (facile enutritur ut error)
  Quod lac densari, quodque coire veto.
Qua virtute vetem, tum vos, gens docta, docebo
  (Sed certe hac sola conditione loquar)
Cum mihi dixeritis, quo res comprendere mente
  Contingat vobis, quo meminisse modo.
Hoc dicam audacter; Veneris me lampada sacram,
  Quam vitali oleo nobile semen alit,
Exhilarare meo, blandumque fovere calore:
  Quid fidum Veneri, si calor hostis erit?
Ignoremne illam nimium Proserpina novit,
  Et purgor pœna (proh! nimis) ipsa mea.
Quid?

v. 18. Salmacis herba, per appositionem. De Salmacide fonte nota fabula. Ovid. met. 4.

Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde
Semivir, etc.

v. 31. Menthæ ipsius odor animum excitat, & sapor aviditatem in cibis; ideo embammatum misturæ familiaris, Plin. Stomacho apprime utilis est, appetitum excitat; & in condimentis peculiarem usum invenit: humores frigidos crassosque excalfacit, attenuat & absorbet; singultus, vomitiones, choleramque sedat, sed conceptioni resistere creditur, Fernel. Singultus & vomitiones, cum succo granati — aridæ quoque farinam tribus digitis apprehensam stomachi dolorem sedare in aqua, Plin.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0100
DFG

Quid? quod nulla magis ſtomachum corroborat herba;
Nulla magis læto digerit igne cibos.
Injuſta eſt talem niſi amet Dea Cypria plantam,
Ingratum eſt grates & niſi ſemen agat.
Ergo alias alii non parce reddere cauſas;
Et cauſam qui non invenit, ipſe facit.
Nempe recrudeſcunt noſtro loca ſaucia tactu,
Me nova vulneribus vulnera ferre volunt.
Quis pudor? aſtringens mihi vis & ſicca tributa eſt,
Et fœdum noſtra detumet ulcus ope.
Sanguinis & fluxus ſiſto, medicarier auſa
Naturæ ipſius vulnera facta manu;
Factaque ſerpentum, rabioſi facta levare
(O quam plaga levis bellica!) dente canis.
Vix memorare auſim quod ab intertrigine tutus,
Vel dextra ſiquis me gerat, eſſe poteſt.

v. 37. Caſſ. Dionyſ. Geop. 12. Mentham impoſitam vulnera exaſperare eoque nomine belli temporibus minus eſſe idoneam.

v. 39. Mentha utraque calida & ſicca eſt tertio ordine, guſtu acri, ſubamaro, tenuium partium, aſtringendi & exſiccandi vim habet, Fernel.

v. 40. Ulcera in capite infantium mire ſanat — Epiphoris illinitur & omnibus in capite eruptionibus, Plin.

v. 41. Æque maribus ac fœminis ſiſtit ſanguinem, & purgationes fœminarum inhibet — ſanguinem excreantibus in ſorbitionem datur — ſanguinis fluxiones intus emendat. Ib.

v. 43. Sumitur contra Scolopendras, & Scorpiones marinos, & ad ſerpentes, ib. De morſu canis rabioſi alii.

v. 45. Intertrigines ſi vel teneatur prohibet. Plin. ib.

Ridetis? patior lege hac, ridere viciſſim
Veſtra quoque ut liceat tot maledicta mihi.
Quorum prætereo reliqua; atque exponere verum,
(Hic lingua in medio ſubſtitit icta ſono)
Quanquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit,
Incipiam. (Et virides hic maduere genæ.)

Non ego veſtrorum pars (credite) ſemper odora
Hortorum, ac quondam virgo decora fui:
Nigra quidem (nam me genuit Cocytius amnis)
Sed fuit in nigro multa colore Venus.
Ne quis mentiri me forte exiſtimet, ore
Veridico meminit Naſo poeta mei.
Lucus erat mœſta patri gratiſſimus umbra,
Quem tacito æternum præterit ille pede:
Sunt illic Taxique & funereæ Cypariſſi,
Et ferrugineis ſylva ſevera comis.

v. 49. Rondeletius cauſam proverbii putat eſſe, quod ſemen Menthæ homines efficiat nimis furibundos. Falſum! & ſatis inepte excogitatum! Heurnius putat veteres ad Μινοτιμχίαν reſpexiſſe, quod inimicitiæ immortales eſſe non debeant, nam Mentha ſemel fata durat ætatem.

v. 53. Cocyti filiam Mintham cum Plutone deprehenſam à Proſerpina poetæ fingunt, ab eaque in hanc herbam transmutatam.

v. 58. *Fœmineos artus in olentes vertere Menthas,*
Perſephone, licuit?
Ovid. Met. 10. Fab. ult.

Hic me ſecreto ſpatiantem tramite vidit
Tertius inferni Jupiter ille poli.
Vidit, &, heu! placui; nam vultu exardet in omni;
Illi forma placet candida, nigra placet.
Ah! ſi neſcitis, deus inſatiabilis ille eſt;
Et vi crudelis, non prece, ſemper agit.
Me rapit, amplexus quanquam perterrita fugi:
Ne valeam ad mortem ni mihi viſa rapi.
Quid facerem? ſævum eſt & inexpugnabile numen,
Et fratris vires omnipotentis habet.
Quid multa? invitam ſecretum ducit ad antrum,
Virgineoque ferox corpore perfruitur.
Neſcio quo caſu (namque hoc ſiluere poetæ,
Nec licuit tali tempore ſcire mihi)
Ecce venit ſcelere in medio Plutonia conjux,
Et mea humi miſeræ corpora ſtrata videt.
Nec purgare data eſt, nec me relevare poteſtas;
Semper at, illa inquit, fixa manebis humi.
Dixit, & extemplo compagem diffluere omnem,
Et rapida ſenſi membra ſoluta fuga.
Venaque radices ſub terram quælibet (ex quâ
Cauliculus ſurgit mox rubicundus) agit.
Cauliculosque ornat florum rubicunda corona,
Et folia obſcuro ſciſſa virore nitent.

v. 64. Pluto. *Poli*, quia & inferi ex poetarum ſententia
—— *Cœlumque ſuum, ſua ſidera norunt.*

Et bellam efficio Menthæ, cognominis herbæ,
Areolam jacui quo resupina modo.
At duram infernus sortem miseratus adulter,
(Illa vel infernos digna movere Deos.)
Pro forma humana, pro virginitatis honore
Vim magnam foliis jussit inesse meis.
Ditavitque humilem multis virtutibus herbam,
Quas inter dulcis vix numerandus odor.
Hæc bene cum veteres (ut erant certissima) scirent,
Religio est animis non levis orta piis.
Plutoni sacram duxere, atque omen habere
Mortis, & hinc bello me vetuere seri.
Errarunt; alios ne raptet sedula curo,
Neve ad Plutonem quis nisi serus eat.

v. 87. Litera tantum mutata, nam virgo Mintha vocabatur, & græce quidem sine ulla mutatione.

v. 94. Mentæ nomen *suavitas odoris* apud græcos, cum alioqui Mintha vocaretur, unde veteres nostri nomen declinaverunt. Grato Menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus. Plin. lib. 19. 8. id est, cum Μίνθη prius græce vocaretur, postea Ἡδύοσμον ab odore appellaverunt.

VISCUS QUERNUS.

Viſcus (Io!) magni donum tentatis opimum,
Proſilit è Quercu ſanctior ipſe ſacra.
Solennes aras de ceſpite ponite vivo,
Et totum vario ſternite flore locum.
Rite Deos orans pura cum veſte ſacerdos
Aſtantum elatus colla manusque ſuper,
Scandat adorati fælicia culmina trunci,
Et veniam fruticis ſupplice voce roget.

v. 1. Nihil habent Dryidæ (ita ſuos appellant magos) viſco & arbore in qua gignatur (ſi modo ſit Robur) ſacratius: jam per ſe Roborum eligunt lucos, nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione græca poſſint Dryidæ videri. Enimvero quicquid adnaſcatur illis e cœlo miſſum putant, ſignumque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inventu, & repertum magna religione petitur. — *Omnia ſanantem* appellantes ſuo vocabulo, ſacrificiis epulisque rite ſub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur: Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit, candenti id excipitur ſago: tum deinde victimas immolant, precantes ut ſuum donum Deus proſperum faciat his quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali ſterili arbitrantur, contraque omnia venena eſſe remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio eſt, Plin. lib. 16. 45. de quo vide plura ibid. Anglice vocatur *Miſſeltoe*.

Teutates & Heſus duo maxima Gallorum veterum numina, quibus humano ſanguine faciebant.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0105
DFG

Tum vero aurata demeſſum falce decenter-
  Candenti excipiat candida turba ſago.
Et duo candentes immuni corpore tauri
  Lucentes tingant, victima grata, focos.
Tum læti celebrate dapes, plauſuſque ſecundus
  Concutiat totum, ſeu gravis aura, nemus.
Hos habuit Viſcus Diis invidioſus honores:
  Non Apis tantos ipſe repertus habet.
Nec ſibi viſa minor Dononæ Quercubus olim
  Fatidicis, Viſcum ſiqua beata daret.
Scilicet hanc veteres plantis magis omnibus unam
  Patronam vitæ conſtituere ſuæ.
Hæc ſola eſt ſpernit quæ terræ filia dici,
  Regalique udam quæ pede ſpernit humum.
Huic ſoli genituræ expers genitalis origo;
  Vel mundi ipſius qualis origo fuit.
Cumque alia humana concreſcant inſita cura,
  Naturæ hæc ſola eſt inſita planta manu,

v. 23. Omnino ſatum nullo modo naſcitur, nec niſi per alvum avium redditum, maxime palumbis ac turdi: hæc eſt natura, ut niſi maturatum in ventre avium non proveniat, Plin. ib. Unde *Turdus ſibi malum cacare* proverbio dicitur, quod ejus acinis viſcum fiat irretiendis avium pennis. Sed hoc manifeſte fabuloſum eſt; nam parte inferiore & prona ramorum aliquando naſcitur, ubi adhærere avium excrementa non poſſunt: itaque non ex ſuo ſemine hoc modo concocto præparatoque naſci credibile eſt, ſed ex ſucco quodam arboris quem ipſa vincere & in naturam ſuam mutare non valet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0106
DFG

Hinc & ſerpentum nigra exarmare venena,
Et magicos (hominum dira venena) ſonos.
Et morbos, (quam multi!) omnes ſuperare putarunt.
Quid mirum? herculeum cui ſuperare datum eſt.
Quis magis horribilis? quæ forma chymærica morbi?
Parte ſui mors eſt torpida, parte furor.
Hoc ſuperat monſtrum: tamen hinc quoque poſſe minora
Falſa quidem fuerat, ſed nec inepta fides.
Credidit antiqui ſimplex infantia mundi,
Nec (puto) tunc ævi notus elenchus erat.
Nec modo tutari, vitam dare creditus olim,
Fœcundumque uteri reddere viſcus agrum.
Quid ſterile eſſe poteſt plantæ ſine ſemine natæ?
Quid clauſum? quæ vel Quercum aperire valet.
In lucem immani quæ prodit ab arbore nixu,
Ut capite exiluit diva Minerva Jovis.

v. 27. De venenis prius. Veneficia autem averruncare adalligatum cervici ait *Cluſius*.

v. 30. Epilepſiam, morbum comitialem, caducum, ſonticum, puerilem, ſacrum appellatum, herculeum autem propter immanes vires violentiamque. Huic morbo Viſcum auxiliari apud omnes medicos in confeſſo eſt, itaque omnibus fere antepilepticis remediis admiſcetur. Plinius addit, ſi terram non attigit, comitialibus mederi; eandemque Cluſius conditionem requirit: ſed hoc ex Dryidum traditionibus fluxiſſe arbitror.

v. 32. Nam ſenſus & motus voluntarius tolluntur, at totum corpus convellitur concutiturque, os ſpumat, dentes ſtrident, etc.

v. 37. Conceptum fœminarum adjuvare ſi omnino ſecum habeant. Plin. lib. 24. 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0107
DFG

Quod si priscorum vera est sententia vatum,
(Et prisci & vates sint, dubitare licet)
Non miror, quoniam cognatio jungit utrosque,
Fraterno si nos viscus amore colit.
Ipsi homines olim rupto de Robore nati,
Primus (si fas est credere) viscus erant.

v. 47. Cum homines è grandium arborum cavis exeuntes, ubi se contra hyemis ferarumque injurias abdidissent, passim in sylvis viderentur, creditum est à primo simpliceque sæculo eos illinc tanquam ex utero natos prodiisse: quem errorem rudis vulgi ridiculum poetarum fabulæ confirmare sunt conatæ. Virg.

Gensque virum truncis & rupto robore nati.

Juven.

Quippe aliter tunc orbe novo cæloque recenti
Vivebant homines qui rupto robore nati.

Omnium autem bellissime atque, ut ita dicam, picturate hanc rem describit Papinius lib. 4. Thebaid. Non possum me continere quin versus ipsos exscribam, ita digni sunt qui ubique legantur. De arcadibus loquitur,

——— *Nemorum vos stirpe rigenti*
Fama satos, cum prima pedum vestigia tellus
Admirata tulit, nondum arva domusque nec urbes.
Connubiisve modus. Quercus Laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit orno.
Hi lucis stupuisse vices noctisque feruntur
Nubila, & occiduum longe Titana sequuti
Desperasse diem ———

CHELIDONIA.

(*Chelidonium majus* LINN.)

Aſpice ſuffuſo flaventia lumina felle,
Et tincta icterico turpiter ora croco.
Dilectus nimium ſacri color ille metalli,
Ille color pulchræ gloria prima comæ:
Occupat injuſtus cum regna aliena tyrannus,
Tetrior, ah! nigro eſt, horribilisque magis.
Talem equidem formam, tam fœdam mentis avaræ
Tam flaventem oculis arbitror eſt Deum.
Si mens auro inhiat, ſi ſolum cogitat aurum,
Aurigo eſt; auro concolor illa ſuo.
Sed Deus hunc curet. Ratioque potentior herbis,
Icterus herbarum poſtulat alter opem.
Neſcio quid faciant aliæ; mihi credite, noſtram
Icterus haud fruſtra poſtulat alter opem.
Non ego me tantæ temere ingero vana medelæ;
Ingens ſuſcepti muneris auctor adeſt.

v. 1. Chelidonium majus, à χελιδών *Hirundo*, unde & Hirundinaria dicitur aliquibus. Anglice *Celandine*.

Decoctum ex vino albo bibitur ad Icterum, addito aniſi ſemine. Matthiolus etiam plantis pedum ſuppoſitum mederi ait ictero.

v. 10. Aurigo, Icterus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0109
DFG

Naturæ ipſius mecum diplomata porto,
Naturæ ipſius ſigna manumque vide,
In foliis, in caule meo, in radicibus ipſis,
In toto flavus corpore ſanguis ineſt.
Felle redundanti ſuffuſam credet, & eſſe
Jurabit, qui me diſſecat, ictericam.
Interea cutis eſt viridis mihi corpore toto,
Et bonus, atque herbam quo decet eſſe, color.

Eadem.

Dii faciant bona multa tibi, vocalis Hirundo,
Atque velint ſceleris non meminiſſe tui,
Quod nobis plantæ docuiſti nobilis uſus,
Qui latuere hominum lumina cœca prius.
A te pro cellis jam penſio larga tributa eſt,
Sub tignis noſtræ quas tribuere domus.
Omnia te picti comitantur germina veris:
Sed nullum utilius, credo vel ipſa vides.
Scilicet huic debes ipſum hoc quod cætera cernis;
Hoc te præcipuo germen amore colit.

v. 17. Signaturam quam vocat.

v. 25. Animalia quoque invenere herbas, inprimisque Chelidoniam hac enim Hirundines oculis pullorum in nido reſtituunt viſum, ut quidam volunt etiam erutis oculis, Plin. lib. 25. 8. & lib. 8. 27. Chelidoniam viſui ſaluberrimam Hirundines invenere, vexatis pullorum oculis illa medentes; inde huic herbæ nomen inditur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0110
DFG

Te veniente alia adveniunt; non ſufficit illud
Officium; hoc etiam te redeunte redit.
Nos huic plura tamen quam te debere fatemur,
Atque oculorum aciem reſtituiſſe parum eſt.
Mille malis vitæ, tormentis mille medetur,
Quæ fortunatæ non patiuntur aves.
Illius adventu miteſcunt tormina ventris,
Et ceſſat dentis carnificina cavi.
Morbus & auratis depellitur aureus armis
Nomina qui regis falſa tyrannus habet.
Et ſuccreſcenti florentia carne replentur
Ulcera ſentinis exonerata ſuis.
Et coëunt fraterna per oſcula vulneris ora;
Nec tua tum ſcabies, fœda libido, manet.

v. 35. Florent adventu Hirundinum diſceſſu marceſcunt: Florentibus ſuccus exprimitur, & in æreo vaſe cum melle attico leniter cinere ferventi decoquitur, ſingulari remedio contra caliginem oculorum. Utuntur & per ſe ſucco in collyriis quæ Chelidonia appellantur ab ea, Plin. lib. 25. 8.

v. 41. Succus illius cum oleo Chamæmeli calidus umbilico applicatus.

v. 42. Decocto gargarizato, etiam pulvere contactus dens cavus ac putris decidere dicitur.

v. 43. Icterus, qui morbus regius appellatur.

v. 45. Suppurationes, collectiones, ſinus ulcerum Chelidonia ſiccantur, vulnera adeo ut etiam pro ſpodio utantur, Plin. lib. 26. 14. Chelidonii ſuccus exſiccat detergetque valide, adeo ut vetera malignaque ulcera, ſinus quoque & fiſtulas, expurget, detergat, tandemque perſanet, Fernel.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0111
DFG

Et fugit ambustus Cancer, fugit improbus Herpes,
Et rubra offensi bulla caloris abit.
Morborum pigmenta abeunt, atque oscula solis
Cum nimium memores linquit in ore notas.
Et ridet vitio purgatus ab omni,
Purior ac speculo lævior ipse suo.
O patrona oculi! videant ut lumina pulchre,
Utque simul videant non nisi pulchra facis.
Spectatum veniat, veniat spectetur ut ipsa,
Dupliciter donis fœmina læta tuis.
Te quoque formosi comitantur tempora veris,
Et flos humanus te veniente venit.

v. 49. Herpes, Serpigo, anglice *Tetter*, unde & herba quibusdam dicitur anglice *Tetter-wort*.

EURICA.

(*Braſſica Eruca* LINN.)

****

Vos, o, legitimo quos jungit fœdere lectus,
In quo cuncta licent gaudia, cuncta decent,
Noſtris ne pudeat foliis cœnare libenter:
Non ſolam paſcunt hæc alimenta famem.
Iſta dabunt tota convivia dulcia nocte,
Guſtatu corpus ruminat iſta novo.
At vos, o juvenes caſti, innuptæque puellæ,
Atque omnis vacui turba ſevera tori,
Si ſapitis, Veneri ſacram ne tangite plantam:
Ite; pudicitiæ ſæva venena fero.
Ipſe Cupido mea latitat, velut anguis, in herba;
Et tingit ſuccis igneus arma Deus.

v. 1. Græce Ἔυζωμον, à condiendis opſoniis, anglice *Rocket*. Calida & ſicca tertio ordine exiſtimatur. Eruca præcipue frigorum contemptrix, diverſæ eſt quam Lactuca naturæ, conciliatris Veneris; idcirco jungitur illi fere in cibis, ut nimio frigori par fervor immiſtus temperamentum æquet, Plin. lib. 19. 8. Et, aviditas coitus putatur ex cibis fieri; ſicut viris Eruca, pecori Cepa, libr. 10. 63. Ergo à Martiale appellatur *Herba ſalax*, Virgil. in Moreto,

——— *Venerem revocans Eruca morantem.*

Colum.

Excitet ut Veneri tardos Eruca maritos.

v. 17. Ovid. lib. 2. de rem. amoris,

Nec minus Erucas aptum eſt vitare ſalaces.

Hortorum Præſes plus nullum germen in hortis
Et colit, & pulchris donat, & ipſe vorat.
Hinc reor æternum pruris, laſcive Priape,
Nequitiæque vigent arma parata tuæ.
Me jubet ut vites, qui ponere quæris amorem,
Naſo, cupidinei vulneris Hippocratis.
Sed, bene ſi memini, nihil ipſe guloſius edit,
Et voluit blando ſolus amore frui.
Ah vafer! at cum tu tibi, Naſo, medeberis ipſi,
Tunc ego Lactucis caſtior eſſe volo.
Sit donata aliis folii laus frigida caſti,
In viduo ſomnos concilientque toro:
Me juvat, o, fortes ludo committere amantes,
Temporaque aſſiduis præcipitare jocis.
Me nequam eſſe juvat; juvat indefeſſa libido,
Et nullo admiſtus felle meracus amor.
Non ego morborum medicamina triſtia curo,
(Quanquam etiam morbos mi ſuperare datur:)

v. 30. Erucæ ſemen Scorpionum venenis & Muris aranei medetur — putant ſubtrita Eruca ſi foveantur oculi, claritatem reſtitui —— Tuſſim infantium ſedari. Radix ejus in aqua decocta fracta oſſa extrahit; nam de Venere ſtimulanda diximus, tria folia ſylveſtris Erucæ ſiniſtra manu decerpta & trita in aqua mulſa ſi bibantur, Plin. lib. 20. 13. Utinam *ſiniſtra manu* non addidiſſet, ne hoc toti fidem deroget: ſed Vir ille, alioquin incomparabilis tot Græcorum Magorumque impudentiſſima mendacia aliquando intertexit, ut mihi doleat ſane legenti, eum proſa oratione ſcripſiſſe, ac non hoc potius modo quo hic ipſi philoſophamur.

Grata voluptatis teneræ fomenta miniſtro;
Tolle hanc de vita, vitaque morbus erit.
Sic ego ſum, lector; ſi ſic placeo, utere: ſed me
Stoicidarum aptam non reor eſſe gulæ.
Si te craſſa juvant tetricorum frigora morum,
Solve, precor, fatuam Lente paluſtre famem.

Eadem.

Lena voluptatis fœdæ, diſcede libello
(Infamis tecum eſt quid mihi lena?) meo.
Nec caſtas herbas, caſtumve offende poetam;
Nam nos offendis, mœcha, pudetque tui.
Cum meretrice ſimul veluti matrona videri
Decorique ſibi flagitioque putat;
Sic dedignatur nymphæa volumine eodem
Conjungi tecum, pallidaque ora rubent.
Non impune olim foliis cœnata libenter,
Tunc cum Nympha fuit, traditur eſſe tuis.
Namque illa Alcidi ſe primum nocte miſella,
Te facilem nimium conciliante, dedit.
Ipſe ego (quis credat) de te dum carmina pango,
Et tua dum mentem ſtringit imago meam,
Neſcio quem ſenſi perrepere in oſſa calorem,
Qualem præmittit mox ſubiturus amor.
Ille quidem tali pugnam cum velite flamma
Incipere (heu quondam res mihi nota!) ſolet.
Nunc inviſus amor, mihi nunc inſana libido
Dicitur, & didici nomina vera loqui.

I, fuge, quære alium, laſciva Eruca, poetam;
Lesbia det vatem, ſive Corinna ſuum.
Carmine tu noſtro vel prætereunda, vel inter
Dira venena tuum tandem habitura locum.
I, fuge; nil opus eſt vitia irritare moleſta;
Nil condimentis indiget illa fames.
Inficit accenditque (heu!) noſtra alimenta cupido,
Se miſcens ipſis inſinuasque cibis.
Linque herbas ſaltem nobis, medicamina linque
Integra morborum, maxime morbe, Venus.
Germina quæ ſexu voluit natura carere,
Inſtrumenta operi ſunt aliena tuo.
Hæc tamen ipſa Venus, Venus hæc convertit in uſus,
(O nimis artificem!) quanquam aliena, ſuos.
Quis tantum viridis flammam ſub tegmine vitæ,
Aſſiduo paſtam rore, manere putet?
Quid mirum eſt, ſi denſa inter convivia regum
Luxuriæ regnet certa libido comes?
Illam inter medias latitantem repperit herbas
Cum bove conviva pythagoræa fames.

****

PLANTARUM.

LIBER SECUNDUS.

****

Sacra Bonæ celebranda Deæ: procul ite, profani;
Ite cachinnantes, non pia turba, mares.
Fœminei ſecreta chori neſcite libenter;
Neſcite, aut ſaltem diſſimulate, viri.
Inſpectare nefas generis poſtſcenia pulchri;
Ingens quæ paſcat lumina ſcena patet.
Tuque ſecunda adeo fulgentis gloria mundi,
Sanctius hic fratris numine numen habens,
Tu, Bona Luna, fave, tu cornibus annue totis;
Annue creſcenti comiter ore mihi.
Tu lucentem aperis, Lucina, infantibus horam;
Vitalesque uteri, Jana, tuere fores.

v. 1. Quoniam hic liber tractat plantas tantum muliebres, eoque nomine Bonæ Deæ ſacer eſt, quæ mares omnes à myſteriis ſuis abigit.

v. 12. Janus Solem ſignificat, Jana Lunam, unde illi Dianæ nomen deductum.

Morbiferi rivos educis, Mena, cruoris,
Mutatosve novo currere lacte jubes.
Tu sexum regis instabilem, fideique marinæ;
Arbitrioque fluunt Pontus & ille tuo.
Viribus arcanis quibus humida regna gubernas,
Ingenii tumeant flumina parva mei.
Sis Lucina mihi, sis fertilis Ilithyia;
Et cerebri curam parturientis age.

Mensis erat quem Diva colit pulcherrima pulchrum,
Lætities anni pictaque pompa redit.

v. 13. Sit Dea Mena quam præfecerunt menstruis fœminarum, *August.* de civ. Dei lib. 4. 11. Ibi est & Dea Mena, quæ menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis: & hanc provinciam fluorum menstruorum in libro selectorum Deorum ipsi Junoni idem autor assignat, quæ in Diis selectis etiam regina est, & hic tanquam Juno Lucina cum eadem Mena privigna cruori præsidet, Id. lib. 7. 2. Hæc Luna est quæ Μήνη græce dicitur, quæ illa menstrua profluvia temperat, quod ad ejus rationem vel moventur vel quiescunt, ut Arist. in lib. de An. scribit; quæ etiam est Jovis & Latonæ filia, ideo privignam Junonis vocat; ignobilis tamen est eo nomine apud latinos, *Lud. Vives.*

v. 19. Juno, Jana, Diana, Lucina, Mena, etc. hæc omnia nomina non nisi unam Deam, nempe Lunam, primo designarunt, quæ Εἰλείθυια proprie dicta est, quod ad parturientes veniat, ab ἐλεύθω, unde etiam in græco epigr. simplicius Ἔλευθω appellatur.

v. 1. Aprilis, Aphrodite sacer, unde nomen obtinet.

Sed Veneris mensem græco sermone notatum
Auguror, à spuma nam Dea dicta maris.
Ovid. Fast.

Convaluere ægræ, linquuntque cubilia plantæ,
Atque exire audent Sole jubente foras.
Ut gaudent cœlum patremque reviſere charum!
Rupiſſe & tumuli vincla ſevera ſui!
Et mundum, & dulces circum ſpectare ſorores!
Nec riſum immerito gaudia tanta cient.
Mox operi accingit ſeſe gens ſedula, blandis
Incorrupta bonis, officiique memor.
Pro ſe quæque opibus contendere ſtrenua ſummis,
Inque dies denſis altius ire comis.
Et folia & pulchros in lucem educere fœtus,
Et propere humanis uſibus eſſe pares.
Ut valuere ſatis, mora nulla eſt; rebus agendis
Intendunt animos, conciliumque vocant.
Concilium ſibi quæque tribus (quæ plurima genti eſt)
Privatim (gentis mos vetus ille) tenet.
Sunt prope mille tribus; ſed quid ſit in omnibus actum
Vix bene centeno dicier ore poteſt.
Nec mihi ſcire licet; gens cauta ſilentia ſervat,
Et ſacra conventus occulit acta ſui.

Sed mea me Laurus, quæ jussa interfuit uni,
(Illa Gynæcitis nomine dicta tribus.)
Edocuit viridis secreta negotia cœtus,
Et quid quæque herba est, quoque locuta modo.
Vos, o humani pars blanda & florida mundi,
(Res hic vestra agitur, nec loquor ista viris)
Vos dictis præbete animos, & credite quicquid
Nescia fallendi delphica Laurus ait.
Splendebat cœli de vertice Cynthia summo,
Atque udo tumidus lumine vultus erat.
Conveniunt plantæ motis radicibus omnes,
Nobilis Oxonii quas sacer hortus alit;
Omnes fœminei quibus est tutela doloris:
Orpheam credas signa dedisse lyram.
Conveniunt quo bella æquo nitet area circo,
Et se formoso molliter orbe locant.

v. 22. Laurus merito ad hunc conventum accersitur, nam inter præcipuas plantas laudatur quæ utero dicantur. Laurus excalfactoriam naturam habet, & foliis & cortice & baccis; itaque decoctum ex his, maxime ex foliis, prodesse vulvis & vesicis convenit. —— Prosunt & mensibus fœminarum cum oleo cocta —— Cortex radicis cavendus gravidis —— Baccæ menses trahunt appositæ, tritæ, vel potæ —— Sunt qui celeritati partus multum conferre putent radicem acetabuli mensura in aqua potam, efficacius recentem quam aridam —— Laurus alexandrina sive idæa partus celeres facit, fecundas etiam pellit, mensesque eodem modo pota, Plin. lib. 23. 8.

v. 31. Nox media plenilunii Aprilis.

Prima ſedet caſtæ per honorem planta Dianæ,
(Concilii præſes tunc ea forte fuit.)
Deinde magiſtratu modo quæ præceſſerat illam
Optima non vano nomine dicta ſedet.
Occupat inde locum (caſu puto & ordine nullo)
Arridens lætis blanda Meliſſa genis;
Thymbraque, Serpillumque, orisque Abſinthia torvi
Aſparagusque, duplex Abrotonumque genus.
Tu, Croce, adhuc teneris gaudens ſervire puellis,
Nunc hilaris, quondam triſtis amator, ades.
Quique magis ſtulto tabeſcis, Amarace, luctu,
Nunc cauſa exitii ſuavior ipſe tui.
Candida Pœoniam comitantur Lilia rubram,
Additur & Violæ purpura tincta recens.

v. 39. Artemiſia, angl. *Mugwort*. Mulieres quoque hanc gloriam affectavere, in quibus Artemiſia uxor Mauſoli, adoptata herba quæ antea Parthenis. Sunt qui ab Artemide Ilithyia cognominatam putent, quod privatim medeatur fœminarum malis, Plin. lib. 25. 7.

v. 42. Ariſtolochia, quoniam eſt ἀρίστη λεχέαις *optima parturientibus*. Anglice *Birthwort*.

v. 45. Thymbraque: Satureia vulgo.
Serpillumque: Thymus agreſtis.

v. 46. Abrotonum mas, *Southernwood*; Abrotonum fœmina, *Lavender-Cotten*.

v. 47. Crocus puer impatientiſſimo amore Smilacem Nympham deperiens, in florem ſui nominis converſus dicitur. Ovid. 4. Metam. *Hilaris*, & propter pulchritudinem floris, & quod hilaritatem generet.

v. 49. Filius Cinaræ regis Cypri, qui fracta caſu unguenti pretioſiſſimi pyxide præ mœrore contabuit, & commiſeratione Deorum in hanc herbam bene-olentem converſus eſt. Vulgus Majoranam, Plin. & Sampſuchum vocat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0121
DFG

Seque Laſer fœtens tam dulcl jungere turbæ
Audet, virtutis conſcia planta ſuæ.
Et plenam portans Lactuca ſub ubere mulctram;
Et quamvis Cypriæ, Nympha, inimica Deæ:
Et grave Marrubium bene-olenti Bacchare junctum
Atque Uteri madido Scordia læta ſolo;
Et Polium & Calamintha, habitantia montibus ambo;
Ambo ſed ad frigus vellere tuta ſuo:
Et bene juncta bonæ vitalis Salvia Rutæ;
Quæque arcus titulum multicoloris habet.

v. 53. Laſerpitium (nam Laſer proprie ejus lacryma dicitur) fœtidiſſimum ſaluberrimumque germen cujus gummi Aſſa fœtida vulgo vocatur.

v. 55. Ob lactei ſuœci copiam, & quod lac generet in fœminis.

v. 56. Nymphæa, olim Nympha. Vide fabulam lib. 1.

v. 57. Anglice *Hore-hound*, Praſium, odorem porri referens.

Bacchar radicis tantum odoratæ, à quibusdam Nardum ruſticum appellatum. Unguenta ex ea radice fieri apud antiquos Ariſtoph. priſcæ comœdiæ poeta teſtis eſt: odor eſt ei Cinnamono proximus, Plin. lib. 21. 6. Bacchar in medicinæ uſu aliqui ex noſtris Perpenſam vocant — potio mulieres ex abortu purgat, etc. Plin. lib. 31. 19. Officinæ Marrubium nigrum vocant.

v. 56. Anglice *Water-Germander*, paluſtribus libentiſſime creſcens.

v. 60. Polium montanum dicitur, & in officinis Calamintha montana; utrisque languinoſa folia caulesque; Polia ab ea cauſa nomen trahente, Πολιος, *canus*.

v. 62. Ruta cum Salvia fata fugare bufones cæteraque venenata creditur quæ Salviam appetunt.

v. 63. Iris, *Flower-de-luce*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0122
DFG

Et Seſelis, cervis Dictamno gratior ipſa,
Exiguoque potens ſemine Daucus adeſt:
Conſolida, & Plantago ſalubris, germina frugi,
Quæque ſolent firmis cuncta tenere feris:
Imperiumque ſuum regali nomine ſignans,
Et regum titulis altior Angelica:
Spicaque, Pulegiumque accline brevesque Anemonæ,
Atque Epicureæ nobile felis olus.
Atque Abiga arrepſit tardo molimine tandem,
Vix humilem terris auſa levare pedem.

v. 64. Paulo ante partum cervæ ſe purgant quadam herbula quæ Seſelis dicitur, Cic. de Nat. Deor. lib. 2. Plin. lib. 8. 32. paulo aliter de Cervis. A partu duas habent herbas, quæ Aros & Seſelis appellantur. Paſtæ redeunt ad fœtum: illis imbui lactis primos volunt ſuccos quacunque de cauſa, & lib. 25. 8. Calep. dicit à vulgo herbariorum Saxifragam majorem nominari.

v. 65. Genus Paſtinacæ ſylveſtris: anglice *Wild Carrots*. Duas differentias facit Plin. lib 25. 19. Semen (inquit) hujus Cumino ſimile, prioris Milio; album, acre, odoratum omnibus & fervens — omnia hæc & hyeme & æſtate ſunt intacta quadrupedi niſi poſt abortus.

v. 66. Anglice *Conſound* & *Plantain*. Duæ plantæ aſtringentes, & in nimiis fluxibus uteri utiliter adhibitæ.

v. 68. Imperatoria anglice *Maſterwort*.

v. 70. Lavendula.

Ob ſurculos humi recumbentes. Angl. *Penny-royal*.

Ἀνεμώνη dicta à vento, quo flante ſpoliatur floribus.

v. 71. Nepeta, Cataria, Mentha Cataria, quod à felibus avidiſſime devoretur, quodque in ea corpora volutare ludibundæ geſtiant, quæ epicureæ dicuntur propter has delicias. Angl. *Catmint*.

v. 72. Chamæpitys, *Ground-pine*, propter aliquam ſimilitudinem & odoris & foliorum, Abiga appellatur ab abigendo partu; aliis nominibus dicitur Thus terræ, & Iva arthritica.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0123
DFG

Venit, nec miror quod venerit, Anthemis illuc;
Per lapides ruptos invenit illa viam.
Venit ab Hiſpanis fœlix Vettonica ſylvis,
Quæ gentis magnæ gloria ſola manet.
Virginibusque favens pia virginis herba Minervæ,
Et germen venit Mercuriale comes.
Venit Erythrodanus, radicis ſyrmata longæ
Poſt tergum proprio murice tincta trahens.

v. 74. Chamæmelon, Leucanthemis Plin. pellit pota calculos, Id. Ad calculos efficaciſſima, Id. tantæ autem eſſe dicitur ad hanc rem efficaciæ, ut ſi calculus exemptus ex humano corpore ejus foliis involvatur, brevi tempore diſſolvatur.

v. 76. Vid. lib. 1. *Gentis magnæ*; Vettonum, quorum nullum, quod ſciam, memorabilius factum extat, quam quod uſum hujus herbæ invenerunt.

v. 78. Parthenium, Matricaria, Febrifuga, Perdicium, Leucanthe, Tamnacus, Muralium; nam abundat nominibus: anglice *Feverfew*. Vernula charus Pericli Atheniesium principi, cum is in arce templum ædificaret, repſiſſetque ſuper altitudinem faſtigii & cecidiſſet, hac herba dicitur ſanatus monſtrata Pericli ſomno à Minerva, quare Parthenis vocari cœpta eſt, aſſignaturque ei Deæ, Plin. lib. 22. 17.

v. 79. Mercurialis, Ἑρμῆς βότανον à Mercurio inventore etiam Parthenium olim dictum.

v. 80. Rubia tinctorum, quæ radicem habet ruberrimam longiſſimamque, à colore nomen Erythrodanum ſortita, tingendis lanis & coriis magno in uſu. Lemnius Levinus affirmat oſſa pecudum ſandicino colore tingi ſi vel viventem herbam mandunt. Angl. *Madder*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0124
DFG

Dictamnus venit boreali frigore quamvis
Tardigrada, & Creta triſtis abeſſe ſua.
Et nimium immodicis Cyclaminum viribus audax,
Et (liceat tandem dicere) centum aliæ.

Multa quoque extremis advecta videntur ab Indis,
De noſtro multum germina queſta polo.
Sed fama Oxonii, vel utrosque vagata per Indos,
Solatur curas, exiliumque levat.
Hæc inter ſteterunt æqualibus intervallis,
Et ſupra virides explicuere tholos,
Et genus arboreum, & fruticum pygmæa propago;
Et viſa eſt crenis bella corona ſuis.
Phœnicios portans vermes pro fructibus Ilex,
Heſperidum auriferis invidioſa jugis,
Stabat, fœmineis morbis & luxibus apta;
Quid disjungo illos? morbus habendus hic eſt.

v. 82. Vide paulo poſt.
v. 84. Vid. lib. I. *Sow-bread.*
v. 1. Ut Galanga, Nux Indica, Nux moſchata, Zedoaria, etc.
v. 9. Dicitur Ilex Coccifera, ut diſtinguatur ab Ilice glandifera communi. Sunt autem hi Cocci baccæ ſuccum purpureum in ſe continentes, qui ſole coctus tranſmutatur in vermem nobilem tingendis purpuris. Hi Cocci Heſperidum pomis præferuntur, cum propter magnos in medicina uſus, tum propter eximiam tincturæ pulchritudinem dignitatemque, unde non minus lucri ex hac Ilice quam ſi Mala aurea portaret.
v. 14. *Arboricida.* Verbum fictitium, ſed ſatis ex analogia aliorum. Adjungitur autem Hederæ quæ fœminini generis, non ut adjectivum, ſed per appoſitionem.

Hanc hedera intexit ditem fallacibus ulnis,
Blanditiisque malis arboricida necat.
Stat juxta invidiam Coccis factura superbis
Murice mox floris nobiliore Rosa.
Nec procul extendit ramos Betula severos,
Et scelere humano sæpe Sabina nocens;
Et patulo amplexu, te dignaque, Tityre, Fagus,
Quique meretur emi vilis ubique Rubus:
Malus & auratis pretiosa Cydonia pomis,
Et medicina homini vulnere Myrrha suo.
Postremo (indictæ mihi quæso ignoscite plantæ)
Juniperusque ferax, sacraque Laurus adest.
Talis erat viridis species reverenda senatus.
Nox est; ventus abest; concio tota silet.
Expectant, tacitæque arrectis frondibus astant;
Se levat, & præses parthenis orsa loqui.

v. 17. Anglice *Birch*. *Severos*, quod ex hac arbore magistratuum olim fasces, nunc pædagogorum virgæ conficiantur.

v. 18. Quod abortibus procurandis in frequenti usu sit.

v. 20. Propter eximiam vim astringendi.

v. 22. Inciditur arbor ut gummi ejus facilius exsudet.

v. 24. Ferax, quia veteribus baccis adhuc manentibus novæ subinde subnascuntur.

v. 28. Nempe quæ ante Parthenis dicta erat quam Artemisia, *præses* additur, ut distinguatur à matricaria, quæ Parthenis à Minerva nominabatur, sicut hæc à Diana.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0126
DFG

ARTEMISIA.

(*Artemisia vulgaris* LINN.)

Post longa hic, matres conscriptæ, frigora tandem
(Sit fælix generi nostro hominumque precor)
In sancto solitoque frequentes adsumus horto,
Et sacri mensis nox celebranda sacra est.
Gratia sit tibi, Phœbe pater; tibi, maxima nutrix
Cynthia, quæ dictis lucida testis ades.
Sed libertatis momenta fugacia curtæ
(Namque dies mox nos orta refiget humi)
Nec nihilo, nec nos vano sermone teramus,
Nec ludis; homines sic sua festa colant.

v. 1. Non immerito in hoc conventu præsidet Artemisia (quam honoris, puto, causa quidam matrem herbarum appellant) nam omissis aliis virtutibus, quæ non sunt hujus loci, nihil æque utero patrocinatur, Plin. lib. 26. 15. Artemisia vulvæ medetur trita ex oleo Irino aut Fico, aut cum Myrrha apposita. Ejusdem radix pota in tantum purgat, ut partus enectos extrahat. Menses & secundas ciet ramorum decoctum insidentibus; item folia pota drachma. Ad eadem omnia prosunt vel imposita ventri, imo cum farina hordeacea. Addam unum Fernelii testimonium, lib. de meth. med. Artemisiæ species duæ calidæ 2°, siccæ 4°. tenuium partium: sumptæ, aut in uteri fomenta vel insessus accommodatæ, menses ducunt, secundas fœtusque extrahunt, uteri præclusioni conferunt. Earum quoque succus cum Myrrha subactus & admotus, elicit quæcunque concluduntur in utero.

Vivere nunc æquum eſt vere; nam frigida bruma
Dimidium vitæ (mortis imago) tenet.
Ergo agite, utilibus nunc æquum incumbere curis:
Longa quieſcendi tempora bruma dabit.
Quot dederit vobis ſubigendos Jupiter hoſtes,
Et quantum officii ſuſtineatis onus.
Expertæ multis magnisque laboribus eſtis,
Oppreſſisque piam ſæpe tuliſtis opem.
Nec certe exiguo generoſis gloria plantis
Debuit, & ſexus gratia mollis emi:
Bella gerenda manent eadem, ſemperque manebunt
Dum tumidi infantes pondera ventris erunt.
Bella manent; ſed quo fælicius illa gerantur,
Scire decet noſtras, & decet hoſtis opes.
Dicite vos, longus quas edocet uſus utrumque,
Ingenue veſtras dicite, & hoſtis opes.
Dicite teſte Dea, quæ nos videt aurea, verum;
Et ferat hæc patriæ quæque tributa ſuæ.
Et doceat diſcatque volens: ſit nulla docere
Invidia, & nullus ſit didiciſſe pudor.
Prima meretur agi quæ nos tam ſæpe recurſans
Sanguinei exercet menſtrua cura mali:
Fœmineus quo fonte ruens, quo fidere fretus,
Fœcundum toties Nilus inundet agrum:
Quid fluvium premat immodicum, impellatve moran-(tem,
Et bona quot ſecum, quantaque monſtra vehat.
Pandite ſecreto myſteria clauſa receſſu;
Nec vos rem tanti credite turpiculam.

Dixerat, incipiunt reliquæ, ſtudioque calenti
Propoſitum (ut doctis mos) agitatur opus.

PULEGIUM.

(*Mentha Pulagium* LINN.)

Pulegium, ſua quo virtus celebratior eſſet,
(Et dicentis odor gratus ab ore venit)
Explicuiſſe ferunt, quot triſtia damna minetur
Purpuream ſiſtens rivulus ille fugam.
Succedunt gravitas membrorum udique tumores,
Fertque ſuum corpus non patienter onus:
Succedunt placitarum olim faſtidia rerum,
Ipſius & vitæ nauſea tetra ſubit;
Ulceraque, & putres ruptis fornacibus ignes,
Et vomitus miſto ſanguine terribiles.
Nunc labor, atque uteri nequicquam pugna furentis,
Et mortes anima mox titubante breves.

v. 1. Pulegium nomen obtinuit, quod, ut ait *Plinius*, flos recentis incenſus pulices necat odore. Πλήκων vel βλήκων græc. dicitur, quod guſtatum à pecore caprisque balatum concitet. Multæ diverſæque vires illi attribuuntur: de iis quæ ad præſens negotium attinent ſic Plin. lib. 20. 14. Ex melle & aceto ſedat menſtrua & ſecundas, vulvas converſas corrigit, defunctos partus eiicit. Cui adjungamus Fernelium; Pulegium calfacit ſiccatque ordine tertio, potum extenuando menſes, ſecundas, fœtusque pellit; tumores, durities, & uteri converſiones inſeſſu tollit.

Pectore tardus nunc domito vix ſpiritus exit,
Mox omnes artus tuſſis anhela quatit.
Ipſa etiam victor ſcandit capitolia mentis,
Et cerebri gyros occupat hoſtis atrox.
Hinc vigiles noctes, vigiles ſed ſomnia terrent;
Veraque mens patitur dum mala, falſa creat.
Jactatamque diu ſerus vitam obruit hydrops,
Atque anima è merſa naufraga puppe natat.
Ah quoties verno gemmantes flore puellas
(Multa ſagittifero jam meditante Deo)
Hic ferus exurit ſubita rubigine morbus?
Flet deceptus amor, triſtis amator abit.
Inficit ora virens, ipſa inficit oſcula pallor;
Tingit ut afflatas ſulphuris aura roſas.
Carbones cineresque vorant gypſumque tenacem.
O fœda, & vere jam maleſuada fames!
Non edit hæc virgo, ſcelus eſt dixiſſe; ſed illa
In jejunanti virgine morbus edit.
Hæc ubi Pulegium, (ſed multa pathetica verbis
Addidit, humano non referenda ſono)
Dicitur, ut miſera de virgine mentio facta eſt,
Concilium lacrymis commaduiſſe piis.
Non aliter currum Luna fugiente diurnum,
Diſceſſum dominæ flet bona turba ſuæ.

v. 25. Morbus virgineus, fœdi virginum colores, χλωρώσις, quæ ſignificat & *viriditatem*, eſt enim à χλοὰ *herba virens*, & *Pallorem*, ut χλωρὸν δέος Hom. Ab aliis febris alba appellatur, quod plerumque febricula comitetur.

Addidit & cauſas qua vi, quo tramite cæco
Perreptet victrix omnia membra lues.
Ille ferox (ait) humor ad oſtia nota ſecundo
Pulſantis venæ flumine pronus abit.
Sive illum virtus uteri magnetica fugat,
Ut ren totius corporis haurit aquas;
Cynthia ſeu curſum, rerum regina fluentum,
Dirigat, æquoreas qua regit arte vias.
Sed clauſas uteri ſi repperit obice portas,
Legitimumque illi forte negatur iter;
Tum furit, exacuitque æſtum: pars craſſior hæret,
Vicinisque movet bella nefanda locis;
At pars mobilior ſurſum attollit, & audet
In venas puri ſanguinis ire comes.
Latro comes roſeos corrumpit luridus amnes,
Quaque fluit, ripa marcet utraque ſolum.
Vitalique cavæ defertur lethifer alveo,
Obſeſſoque ferox hepate corda petit.
Corda tumens tantis dexter ſucceſſibus intrat,
Ingenti trepidant funditus illa metu.

v. 40. i. e. Arteriæ uterinæ. Arteriæ a veteribus venæ nominabantur, ſed plerumque diſtinctionis cauſa cum epitheto, pulſatiles, pulſantes, aut micantes, σφυκταὶ φλέβες. Sic Cicero arteriam, quanquam & eo nomine alibi utatur, *venam micantem* appellat.

v. 55. Ingreditur ventriculum dextrum cordis; unde palpitatio cordis, frequens in hoc morbo ſymptoma.

At regio ulterior medii munimine ſepti,
Et tutam vallo ſe putat eſſe ſuo.
Heu mora parva mali! pulmones occupat ille,
Sentit & arctatum ſpiritus æger iter.
Inde via prona parvaque propontide vectus,
Invadit lævi regna remota ſinus.
Quid ſatis eſt morbo, cui cor non ſufficit ipſum?
Omnia ni teneat, pauper avaritia eſt.
Torrentem ingreditur fluviorum regis aortæ:
Hei mihi! tum nullo more modoque furit.
Nec ſitus ætherius capiti eſt, pedibusve profundus
Auxilio: effrænis victor ubique meat.
Scilicet toto diffuſus corpore ſanguis,
Diffuſa in toto ſanguine peſtis ineſt.

Aſſenſere omnes; neque enim dubitatur ab ullis
Purpureus vitam quo rotet orbe labor.
Exciperent riſus frondoſaque ſibila plantam,
Veracem Hervæum ſiqua negaret adhuc.

v. 57. Ventriculus cordis ſiniſter, qui à dextro, ſepto ſuo nullis foraminibus pervio, ſeparatus, poſſit ab illa vitiati ſanguinis irruptione tutus videri.

v. 59. Ex lege nobiliſſimæ circulationis herveianæ, è dextro cordis ventriculo venam ingreditur arterioſam, deinde per pulmones transfunditur in arteriam venoſam, quæ tanquam parva propontis exonerat ſeſe in ventriculum ſiniſtrum velut pontum ſuum.

DICTAM-

DICTAMNUS.

(*Origanum Dictamnus* LINN.)

Dictamnus, quamvis conſtringant frigora fauces,
Injecta propere ſe levat Endromide.

v. 1. Dictamnum oſtendere (capræ) vulneratæ paſtæ, ſtatim decidentibus telis: non eſt alibi quam in Creta, ramis prætenue, Pulegio ſimile, fervens & acre guſtu; foliis tantum utuntur. Flos nullus ei, aut ſemen, aut caulis; radix tenuis ac ſupervacua. Et in Creta autem non ſpatioſe naſcitur, mireque capris expetitur, Plin. lib. 25. 8. Præcipua Dictamno vis eſt, menſes ciet, partus emortuos vel transverſos eiicit; bibitur ex aqua foliorum obolo; adeo ad hæc efficax, ut ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur: nec potu tantum, ſed & illitu & ſuffitu valet, Plin. 26. 15. At Fernel. dictamni radix (quam tamen Plin. ſupra ſupervacuam eſſe ait) tum pota, tum vel ſuffitu vel peſſo excepta mortuos jam fœtus educit, & ſolo guſtu partus accelerat, etc. Unde etiam derivari creditur ἀπὸ τ. τίκτειν, à pariendo. Nefas hic eſſe non puto Virgilii luculentos de ea verſus emittere, Æn. l. 12.

Dictamnum genetrix Cretæa carpit ab Ida
Puberibus caulem foliis & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæſere ſagittæ.

Unde ad extrahendum ex Æneæ corpore telum ingenioſiſſime hanc adhibet poeta. Frigoris eſt impatientiſſima, & niſi maxima cura nutriatur foveaturque, hyemem noſtrarum regionum non perfert; tegumento ei opus eſt contra frigoris injuriam, unde Endromis illi attribuitur, quam etiam caulis ejus ac folia denſa albaque lanugine referunt. Eſt enim Endromis hirſutum calidumque veſtimenti genus. Martial.

Sordida, ſed madido non aſpernanda Decembri,
Dona peregrinam mittimus Endromidem.

Nam declamandi si se bella offerat ansa,
Quid prohibere potest germina græca loqui?
Pulegiumque illi tanti miracula morbi
Rhetorice visum est explicuisse parum.
Arripuit quicquid cognata reliquerat herba,
Et docta sibimet garrulitate placet.
Si nondum infandi quæ sit vis sæva veneni
Scitis, dum calido corpore fota latet,
Vobiscum reputate precor quid corpore pulsa,
Quid sola, exul, inops, mortua pestis agat.
Illam errore malo gustent hominesve canesve,
(Inque canes potius tam malus error eat)
Protinus humanam invadit vesania mentem,
Et totam incrustat sordida lepra cutem.
At canibus rabies succedit hiantibus atra,
Et sitis ardentes & timor urget aquæ.

v. 7. Puleginm Dictamno cognatum & propter ramorum & propter odoris similitudinem, unde Dictamnus appellatur γλήχων ἄγρια, i. e. Puleginm sylvestre.

v. 15. Manifesta qualitate nocet, quod eum molestia & mordicitate exeat, & contactu virile membrum excoriet; occulta, quod ab hominibus haustus epilepsiam, lepram, maniam, etc. pariat. In fœminis retentus uteri suffocationem, vertiginem, lipothymiam, etc. in fœtu edito variolas & morbillos. Sennert.

v. 17. In rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus inficitur, Plin. lib. 7. 15. Unde affectus ille mirabilis & canum rabiosorum, & animalium ab iis demorsorum, ὑδροφοβία dictus.

Illa (nefas dirum!) prægnantibus illita partum
Semihominem jugulat præcipitemque trahit.
Credite nunc pueros tali de sanguine natos;
Sic format fœtus, sic alit ille novos.
Nec satis hoc; illo seges alma & vitis abortum
Afflatæ faciunt, & sterilescit ager.
Ipsa etiam, gravida est si fructibus, arbor abortit;
Si virgo, ægrotat, si modo nata, perit.
Vos, hederæ, testor (quis enim pudor acta fateri?)
Quid vos tum folii vis medicata juvat?
Teque, venenorum victrix celeberrima, ruta,
Luctantem cogunt tanta venena mori.
Arescunt autumnali flavedine plantæ,
Et mœsta ictericus germina tingit odor.
Ille fugat cives tactis alvearibus ægros:
It vaga, & iratum murmurat exul apis.
Linquit opes misera auratas, longosque labores,
Et structa artifici dulcia tecta pede.

v. 19. Ne ipsis quidem fœminis malo suo inter se immunibus: abortum facit illitus, & omnino si prægnans supergrediatur. Plin. lib. 28. 7.

v. 25. Moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum quibus insedere decidunt, ib.

v. 27. Rutam & Hederas res medicatissimas illico mori, ib.

v. 31. Omnia (hortensia) accessu mulieris menstrualis flavescunt, Id. lib. 19. 10.

v. 33. Præter illa certum est apes tactis alvearibus fugere, Id. lib. 28. 7. at lib. 7. Alvei apum emoriuntur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0135
DFG

Nec ſua defendunt latitantem dolia Bacchum,
Languentisque ſenet prima juventa cadi.
Parva loquor; non ſe defendit belliger enſis,
Sed cedunt molli dura metalla lui.
Fit ſanguis toties effuſi ſanguinis ultor,
Et jam mutata vulnerat arma vice.
Sæpe viris cauſa eſt belli, gladiosque repoſtos
Fœmineum exacuit forma venuſta bonum.
Fœmineum ergo malum gladios obtundat eosdem,
Obtundat tanti vel meminiſſe mali.
Ah! nimium mulier facie confiſa ſuperbit;
Ah! nimio illa nimis ſe putat eſſe Deam.
Viribus immodicis, heu! non civiliter uſa,
Mittit adorantes ſub juga fæva viros.
Tu vero humanas, Dea non puriſſima, fordes
Reſpice, & eſto memor quid tibi luna ferat.
Inſpice tunc ſpeculum, quo nunc decepta ferocis:
Tunc vere quam ſis pulchra videre potes.
Tunc corruptorem corrumpis dira nitentem,
Et diuturna tui certaque ſigna gerit.
Tunc furia, propriæque venefica imaginis audis
Quanta lues! Umbræ peſtifera ipſa tuæ!

v. 37. Aceſcunt ſuperventu muſta, ib.
v. 39. Ferri acies præſtringitur, lib. 7. & lib. 28. Aciem in cultris tonſorum hebeſcere, æs contactum grave virus accipere & æruginem.
v. 53. Speculorum fulgor aſpectu ipſo hebetatur, Id. lib. 7. Eborisque nitor, etc.

Sic ait, utque erat in curſu, parat addere multa:
Sed totum dicunt obſtrepuiſſe chorum.
Perque omnes ramos, & per folia omnia circum,
Tanquam indignantum, non leve murmur erat.
Namque ibi fœmineo multum indulgetur honori,
Et viſa eſt temere verba prophana loqui.

PLANTAGO.

(*Plantago major* & *lanceolata* LINN.)

Plantago aſſurgit nervo ſeptemplice fulta,
Plantago inſignis gloria prima domus.
Styptica gens illi eſt, quam gentibus hæmatagogis
Infenſam virtus ambitioſa facit.

v. 1. Sic dicta per excellentiam; græce Ἀρνόγλωσσον à figura folii dividitur ab illis in duas ſpecies, Πεντάνευρον, *Quinquenervia*, angl. *Rib-wort*, vel *Rib-wort Plantain* (quæ & Plantago anguſtifolia dicitur) & Ἑπτάνευρον, *Septinervia*, angl. *Way-bred*, Plantago latifolia. Vix poſſunt numerari facultates quæ huic plantæ aſſignantur. Quod ad inſtitutum noſtrum ſufficit, proferam mea uſitata teſtimonia. Plantago apponitur in lana in dolore vulvæ, in ſtrangulatu bibitur, Plin. lib. 26. 15. Et ibidem, folia plantaginis pellunt, & appoſita, vulvas. Fernel. autem, Plantago refrigerat denſatque; hinc ſanguinis eruptiones omnes cohibet, atque ut alvi profluvia, ita & vulvæ fluxiones compeſcit, & adverſus uteri ſtrangulationes ex lana ſubiicitur, etc. Reliqua virtutes, ut dixi, tot ſunt, ut Themiſon medicus integrum volumen de ea compoſuerit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0137
DFG

Sed sat habet levibus dictis tenus ire simultas,
Et nunquam humano perfurit illa modo.
Magna (nec invideo) certe laus maxima vobis,
Gentis hirudineæ stirps numerosa, datur.
Purpureum merito depellitis arce tyrannum,
Eiicitur patria jure homicida cruor.
Formosam imperio vitam premit ille superbo,
Cogit & insultans multa nefanda pati.
Lurida lethalis circumfert arma veneni,
Et comites morbos, agmina longa, trahit.
Sed quid opus justo superaddere vana timori
Terricula, & magnum magnificare malum?
Dum nimium tragice sævum depingitis hostem,
Horribilis magis est, credibilisque minus.
Heroem minuit fictis quem laudibus auget,
Et demit veræ gloria falsa fidem.
Geryonem occidit, factum memorabile! at ille
Tergeminus fuerat; jam dubitare licet.
Sed facile est vobis monstrum quodcunque domare;
Sed nobis monstrum credere difficile est.
Legisti græcos nimium, Dictamne, poetas,
Legisti, atque artem te didicisse puto.
At mihi crede tuis quid de popularibus unus
Dixerit, illorum te meminisse decet.

v. 8. Verbum fictitium ab hirudine seu sanguisuga.
v. 27. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, etc. citatum à D. Paulo ex Epimenide cretensi.

Sit Dea rubigo, ſegetem tamen arbitror almam
Non ita corrumpit menſibus illa ſuis.
Et pleno nocuiſſe cado plus mille puellis
Unius certum eſt ora bibacis anus.
Nec furit hoc quisquam guſtato ſanguine, multos
Efficit inſanos ſed locus unde venit.
Nam curare canis rabioſi vulnera certe
Ille tuus nimium Plinius autor ait.
Fœmineum ſi vitet apis perterrita tactum,
Neſcio; ſed tactum fœmina vitet apis.
Fatalem in venis ſineret ſtagnare cruorem,
A pulſo ſiquidem Ruta necanda foret.
Tu quoque deberes melius tibi, Bacchica planta,
Atque corymbifero conſuluiſſe Deo.
Nam quod ait rigidos gladios ferrumque retundi,
Dii bene, ſi peſtis ſumma ſit iſta bonæ.
Atque utinam facies pulchra incorrupta maneret,
Corrumpat ſpeculum donec & illa ſuum.
Sed quid ago? ſatis hæc miracula græca refellit,
Fœmina quod tanto non perit ipſa malo.

v. 29. Vide Ovid. Faſt. 4.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat, etc.
v. 35. Inter omnes convenit, ſi aqua potusque formidatur à morſu canis, ſuppoſita tantum calici lacinia tali, ſtatim metum illum diſcuti, videlicet prævalente ſympathia illa Græcorum, cum rabiem canis ejus ſanguinis guſtatu incipere dixerimus, Plin, lib. 28. 7.
v. 41. Hedera.
Deme meis hederas, Bacchica ſerta, comis,
Ovid. Corymbi, baccæ hederaceæ.

Occupat hic (dictis ut gaudet semper acutis.
Et spinam in lingua fertur habere) rubus.
Non tantum his , aliis datur & serpentibus, inquit,
Ut sua ne noceant sæva venena sibi.
Nec perimens vultu basiliscus cuncta, periret,
Si vultum in speculo cerneret ipse suum.
Subrisere, levique omnes tremuere cachinno;
A vento credas prætereunte quati.
Nam cynico frutici libertas magna dabatur,
Hanc usu propriam fecerat ille sibi.
Plantago interpellari stomachata resedit,
Et pulchro incepit protinus ore rosa.
Dicentisque pudor faciem commendat honestus,
Gemmantem verno flore rubere putes.

ROSA.

(*Rosa variæ species* LINN.)

Tam fera fœmineo quæ toxica sanguine misces,
Cretica (nam nostram tangere nolo Rubum)
Aspice quam vivo saturetur murice vultus,
Quamque ardens Cytini fulgeat ore decor.

v. 1. Rosa. Inhibet fluxiones mulierum, maxime albas, in posca potus (succus) Plin. lib. 21. 19. Et oleum rosarum ad uteri refrigerationem , & immodicos menses cohibendos, præscribit Fernel. etc.

v. 4. Cytinus flos Mali punicæ sativæ, cujus est vividissimus clarissimusque rubor. Balaustium sylvestris flos est.

Aſpice quam nullus nec flos nec flora ſit ipſa
Mollior illarum candidiorve cute.
Et ferrugineas juxta ſimul aſpice formas,
Tectaque echinato cortice membra virum.
Horrentem dices Violetis creſcere Ruſcum,
Plorabisque feris Lilia mixta Rubis.
Sit tibi tum ratio judex, ſint lumina teſtes,
An pura impurus corpora ſanguis alat.
At tu Tinctoris vitiatum crede Lebetem
Decolor unde venit, non ſatur unde colos.
Si nihil hic peccat, dices, juſtiſſima nollet
Inſontem patrio pellere luna ſolo.
Hic nihil in vitio eſt, ſed copia peccat, & illum
Publica (quæ ſumma eſt lex) jubet ire ſalus.
Sic ſi forte olim numeroſæ prolis abundat,
Nec populis regio ſufficit ipſa ſuis.
Haud illi indignum eſt alias dimittere partem
Quæſitum terras, exiliumque pium eſt.
Sed plusquam ſatis eſt cumulat cur fœmina? crede,
Naturæ nunquam prodiga luxuria eſt;
Contenta eſt paucis, nec, avari more nepotis,
Congerit immenſas, ut male perdat, opes.
Certe opus eſt facto quicquid facit illa: quid ergo?
Non locus hic dubio; res ſibi teſtis adeſt.

v. 8. Echinus tegmen ſpinoſum caſtanearum, Plin. armatum his echinato cortice vallum eſt, lib. 15. 23.
v. 9. Angl. *Butchers Broom*. Virg. *horridior Ruſco*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0141
DFG

En toto ut durat vindemia sanguinis anno,
Pressus & assidue dat nova vina chylus:
Plena tument semper reparato torcula succo,
Quem calida & satiens mascula vita bibit.
At mulier de fonte suo moderatius haurit,
Frugalisque penum non vorat omne calor.
Vitalem in magnos thesaurum congerit usus,
Naturam humanam decoquere ille vetat.
Neve ea sufficeret generando symbola nato
Quam confert misto semine uterque parens,
Ni pia mantissam vellet superaddere mater,
Perficeretque sui larga cruoris opus.
Nempe cruore rubens, at candens semine constat,
Et pars principium concolor omnis habet.
Hoc ligna, atque illum lapides prædere putares;
Vivaque conjunctis surgit utrisque domus.
Ille veneficii reus actus, lethifer ille,
Cui tu Nessæum virus inesse putas,
(Et mirum est sane nisi vestem tinxerit illo
Qua miserum occidit Deianira virum)
Componit teneri sanguis primordia fœtus,
Et dat per menses blanda alimenta decem.
Nec satis hoc illi, chara inter brachia matris
Hospitis occurrit rursus ad ora sui.

v. 39. Mantissa, additamentum rei quæ venit, quasi manu tensum, quia ultra pondus quod exigitur hoc manu datur. Lucil. Mantissa opsonium vincit. Angl. *Over-measure*, *Vantage*.

v. 48. Herculum: vide fabul. Ovid. met. 9.

Mutato occurrit mutatus tramite & ipſe,
Secretam emenſus qualem Arethuſa viam;
Mammarumque duplex gemino de fonte reſurgit,
Flumine vel ripis candidiore ſuis.
Potavit tales olim gens aurea rivos,
Fælicis tales reddidit uber agri:
Simplicitasque virum, candorque & lactea corda
Infantum facili digna fuere cibo.
O juſta & prudens naturæ cura parentis!
Quam propria ætati pabula cuique dedit!
Cum nondum jecoris perfecta operaria cella eſt,
Matre laboratus pignora ſanguis alit.
Cumque modo ornata novus ignarusque taberna,
Vix ſua noſcit adhuc munia tyro calor:
Mite rudimentum tingendi murice lactis
(Diſcenti penſum quam puerile!) datur.
Materia victor ſe tandem exercet in omni,
Gaudet & impenſis luxuriare ſuis.
Dicite nunc tetrum membris cumulare venenum,
Quo dulces fœtus provida mater alat.
Propinant duræ pueris Aconita novercæ,
Alma parens haurit de meliore nota.

v. 54. Fons Achaiæ notiſſimus, qui ſub terra marique dilabens in Ortygia tandem Siciliæ erumpere dicitur. Nec minus mirabiliter hic ſanguis (ex communi ſententia) ab utero per venas hypogaſtricas in mammarias, perque illas in mamillas ductus, papillis tandem tanquam è fontibus duobus erumpit.

Unde sed infanti tam (quæres) utilis humor,
Tot morbos matri tantaque damna ferat?
Ille quidem prodest natali vividus alveo,
Egestus venis exanimisque nocet.
Ille quidem egestus vicino littore torpet
Naufragus; efferri mortuus ille velit.
Hoc fortuna negat? se vindicat ipse relictus;
Omniaque infesto membra vapore replet.
Sed (puto) maturi sapiant quid ab arbore fructus
Indicium præbent, cum putruere, malum.
Candida sic vitæ domus est in semine puro;
Semine corrupto mors stabulatur atrox.
De vita mors est testis non æqua, nec ipsum
Crede oluisse hominem, quale cadaver olet.
At tu legitimo labentem tempore rivum,
Cum nulla vitium traxerit ille mora,
Non minus affirmas, Dictamne severa, nocentem,
Nec morbos morbo ferre, sed ingenio.
Ne tibi cuncta negem (memoras quæ plurima) monstra,
(Quæ vel falsa quidem, vel bene rara puto)
Corpore siqua latent abstrusæ semina pestis,
(Corpore in humano qualia sæpe latent)
Una eademque opera fugat hæc natura, cruori
Porta redundanti cum reserata patet.
Hinc forte accipiunt alienum menstrua virus;
Et comites fraudi est non habuisse bonos.
Sanguinis hæc culpa est? non sum ipsa venefica, siquis
Cum succo biberit mista venena meo.

Dixit, & ambrosium dictis spiravit odorem:
Sed multas contra disseruisse ferunt.
Phœbææ tandem petitur sententia Laurus:
Phœbææ Laurus verba habuere fidem.

LAURUS.

(*Laurus nobilis* LINN.)

Quæ sors magnorum est, inquit, non rara virorum,
O famose cruor, contigit illa tibi.
Plus æquo culpantur ab his, laudantur ab illis;
Nec mediocre odium est, nec mediocris amor.
Hic præjudicio mentitur, & ille favore;
Rumorisque omnes discolor aura ferit.
Dictamnum auditis? nullo non fœmina mense
Deducit Lunam saga veneficiis:
Nec miscere herbas opus, aut fatalia verba;
Medea esse potest sanguine quæque suo.
At siquid veri pulchro rosa protulit ore,
Quæque suo mulier sanguine diva bona est.
Purpurea hinc teneræ suspendit stamina vitæ,
Subtexitque operi justa alimenta rudi.
Sed, cui chara feror, nisi me deludat Apollo,
Simque sacrum frustra cingere sueta caput,
Nec format talis, nec nutrit corpora sanguis;
Nequicquam falsa laude triumphat iners.

Quæ me mul'a movent non hic memorare neceſſe eſt:
Unum hoc multorum pondus & inſtar habet.
Nam mulier cunctorum animantum ſola reperta eſt,
Quam vena immodico menſtrua fonte rigat.
At pecus omne tamen parit intra viſcera fœtus,
Vincit & humanum fertilitate genus.
Quot(monſtrum!)exiguus fertur peperiſſe ſimul mus?
Paucaque Trojani pondera ridet equi.
Quantum o montoſus circumfert molem elephantus?
Viſus & eſt utero turriger eſſe ſuo.
Fertilitate tuos, Lucina, cuniculus orbes
Pene æquat; vix tu ſæpius ipſa tumes.

v. 21. Solum animal menſtruale mulier, inde unius utero quas appellant molas, Plin. lib. 7. 15.

v. 25. Supra cuncta eſt murium fœtus, haud ſine cunctatione dicendus, quanquam autore Ariſtotele, & Alexandri Magni militibus, generatio eorum lambendo conſtare, non coitu, dicitur. Ex una genitos centum & viginti tradiderunt; apud Perſas veri prægnantes & in utero parentis repertas; & ſalis guſtatu fieri prægnantes opinantur. Itaque definit mirum eſſe unde vis tanta meſſes populetur murium agreſtium, Plin. lib. 10. 65. ubi de mure fœmina loquens adjectivum adjungit fœminini generis: ſed uſitatius aliter facit. Sic ejusdem lib. cap. 61. Mus marinus in terra ſcrobe effoſſa parit ova. Et de corvis lib. 10. 12. Corvi pariunt cum plurimum, quinos: ore eos parere vulgus arbitratur. Et ſæpe eodem modo, unde ad ejus exemplum ſequitur elephantus montoſus, & turriger; quanquam Plautus adjectivum fœmininum elephanto fœminæ addat in Sticho, ſolere *elephantum gravidam* perpetuos decem eſſe annos. Sed putant gravidam regi à verbo ſubintellecto, nempe fœminam.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0146
DFG

Nec tamen hunc fœtum theſaurus ſanguinis ullus
Paſcit, venarum nec reſerata penus
Nempe in conflictu ſexus utriusque jocoſo,
Scintilla excutitur corpore viva maris,
Quam medio tute latitantem in ſemine fugit
Vis uteri ſitiens, interiusque rapit.
In cellam rapit arcanam implicitosque receſſus,
Diſcindentum oculis vix adeunda loca.
His virgo in thalamis animæ ſcintilla recumbit
Fœmineæ, ac pleno nubilis igne viget.
Jungit utrasque Venus, & connubialia ſeſe
Incipiunt miſta puncta movere face.
At circum rubor attritu motuque duorum;
Et ſanguis, ſignum virginitatis, adeſt.
Ut placuit florens, inventum nobile, ſanguis!
Et ſemel inventis addere prona via eſt.
Neve augere labor minimum quem eliſeris ignem,
In promptu fomes ſi ſatis aptus erit.
Non opus eſt alios flammarum inducere rivos;
Hoc fulvas tactu gignit elixer opes.
Adſit materies, & non dignabitur ulla
Æternis Veſtæ cedere flamma focis.
Guttula ſic creſcit primi generoſa cruoris,
Et ſpernit facto ſanguine fortis ali.

v. 50. Elixer verbum eſt arabicum, ſed in rebus quas Romani ignorarunt neceſſe eſt ut vocabulis utamur non latinis, & ridicule ſuperſtitioſus eſt qui id vitio vertit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0147
DFG

Album principio nativi feminis haurit,
Atque opibus læta eſt ædificare ſuis.
Hæ cum deficiunt, tum vita operoſior exit,
Et bene maternam ſedula poſcit opem.
Materiam poſcit, ſed quam ſibi præparet ipſa,
Et puram roſeo murice tingat agens.
Namque uteri plenis hæreſcens lacte mamillis
Venarum multo jugiter ore bibit.
Aſpice vitales modo natum in luminis oras,
Quam promptus lactis nota alimenta petit?
Blanditias mammis facit, arridetque papillis,
Et gaudet veterem ſe reperiſſe dapem.
An paſcet prolem natura cruore tenellam?
Proh ſcelus! hæc morum ſæva elementa dabit?
Tale rudimentum quid mirum ſi genus ipſum
Efferat humanum, cannibilesque facit?
Non illaudati mirarer facta Neronis
Impia, nec furias, triſtis Oreſta, tuas;
Si Deus infantes materno ſanguine nutrit,
Et primam miſeris hanc jubet eſſe ſitim.
Reſtat adhuc cauſam fluxus aperire rubentis,
Qui tanta fontem religione tegit.
Fœmina bruta parit, catulosque in ventre ſaginat:
Nec venas ideo tundere luna ſolet.
Pro cauſa quærendum aliquid quo ſola ſuperbit,
Quod proprium mulier præcipuumque tenet.

Atque

v. 63. Umbilicalium.

Atque hoc occurrit ſolum mihi multa putanti,
Quod ſuperat forma mollitieque virum.
Non equa vincit equum, non taurum vacca; ſed iſta
Si digna eſt Io, dignus & ille Jove eſt.
Si leo tu torvus viſu, tua torva leæna eſt;
Terribilesque minus non quatit illa jubas.
Nec magis urſa rudi concinne lambitur urſo,
Nec nitido magis eſt apta figura polo.
Fœmina nec tigris macula eſt ornatior una,
Et ſus fulmineo conjuge fœda magis.
Non avis incultum ridet decorata maritum;
Peniculo æquali pingit utrumque Deus.
Mollities candorque idem commendat olores,
Nec ſexum aſpectu Leda vel ipſa ſciat.
Quid? graciliſne magis, vel bella eſt fœmina piſcis?
Squamarumve auro nobiliore nitet?
Se ſatis hic armat nudo Venus improba ſexu;
Addere nec formæ tela neceſſe putat.

v. 84. Io in vaccam; vide fab. Metam. 1. Jupiter in taurum, Met. 2.

v. 88. Calliſto à Junone in urſam commutata, à Jove in cœlum tranſlata, efficit urſam majorem quæ Arctos dicitur, fab. Met. 2.

v. 90. Apro.

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri,
Ovid. & paſſim alii.

v. 94. Utpote quæ cum olore concubuerit, notitiamque habuerit.

Nulla ſagittiferis oculis victoria parta eſt;
Rem peragit totam conciliator odor.
At gentem humanam formoſior ignis adurit,
Nec rationis egens, nec ſine luce calor.
Nec facit hunc coitus brevis & cœnoſa voluptas:
Ah! pereant, quibus hæc ſola vocatur amor.
Larga venuſtatem tribuit natura puellis,
Et nivei blandas corporis illecebras.
Auratæque viros voluit retinere catenæ,
Et frænare vagos dulcibus imperiis.
Nec ſolum inceſtas turpiſſima paſcere membra,
Sed ſpectantum oculis gaudia caſta dare.
Sanguinis hinc partem, preſſura noviſſima tandem
Quem facit, & duri vilis amurca chyli,
Quæque pilos abit in triſtes barbamque ferocem,
Denſatæque infert nubila fuſca cuti,
Derivare omnem voluit de corpore pulchro,
Laxatasque dedit lunæ aperire vias.
Quod ſi impura ſuis decurrere flumina rivis
Fors vetet, & magnus digerat illa calor;
Paulatim formam mulier ſolidata virilem
Induit, & ſtupor eſt qui fuit, Iphi, tuus.
Sic Phaëthuſa pilis ſibi totum horrefcere corpus
Mirata eſt, denſas & fruticare genas.

v. 117. Aliter enim morbi morsque conſequentur.
v. 121. Pithæi Abderitæ conjux, quam refert Hippocrat. lib. 6. Epidem. cum antea fœcunda fuiſſet, viro exulante menſibusque ſubſiſtentibus, toto corpore hirſutam

Sæpe manum damnans ſpeculum ſibi poſcere teſtem,
Et ſpeculum damnans ſæpe referre manum.
Ipſa diu proprio eſt infælix territa vultu;
Ipſa diu infælix territa voce ſua eſt.

Hæc & plura quidem (ſed quis pote cuncta referre)
Veridico edocuit Laurus amata Deo.
Hinc ærumnoſi dura ad miracula partus
Se via ſermoni præbuit ipſa ducem.
Obſtetrixque loqui juſſa eſt Junonia planta,
Quæ meritum à lochiis optima nomen habet.
Arrexit caules, & non invita loquuta eſt,
Nec piguit proprium commemorare decus.

factam eſſe, barbam erupiſſe, vocemque aſperam & virilem effectam; idemque Nemiſæ Gorippi conjugi contigiſſe.

v. 131. Ariſtolochia Junoni Lucinæ ſacra: nominis cauſa quod ſit ἀρίστη ταῖς λοχείαις, non λεχέαις, ut in Plin. legitur, *optima parturientibus*: vel à lochiis, i. e. purgamentis omnibus poſt partum, quæ fæliciter expellit.

v. 133. Habet enim caules humi arrepentes.

ARISTOLOCHIA.

(*Aristolochiæ variæ Species* LINN.)

Et florem, & baccas virides, & semina fundo,
Patronamque uteri non sterilem esse decet.
Sed magis est alte mea summa recondita virtus,
Et fructus radix maximus ipsa mihi est.
Hanc natura uteri signavit cauta figura,
Nec passa est vires dissimulare suas.
Inde vocor terræ malum; tam nobile malum
Non ipse hesperidum lucidus hortus habet.

v. 1. Angl. *Birth-wort.* Plurimis modis Aristolochia prodest; nam & menses & secundas ciet, & emortuos partus extrahit myrrha & pipere additis, pota vel subdita: vulvas quoque procidentes inhibet fotu, vel suffitu, vel subjectu, maxime tenuis, Plin. lib. 26. 15. Nostri Malum Terræ vocant, & quatuor ejus genera fervant —— omnes colore buxeo, caulibus parvis, flore purpureo; ferunt bacculas parvas ut capparis. Valent radice tantum —— Odor omnium medicatus, sed oblongæ radici tenuiorique gratior —— Oblonga in summa gloria est; si modo à conceptu admota vulvis in carne bubula, mares figurat, ut traditur; Plin. lib. 25. 8. Quod postremum dignius erat hoc poemate quam opere philosophico inseri; imo ne hoc quidem dignum. Libet adjungere Fernel. Aristolochia utraque menses, secundas, & fœtus cum myrrha & pipere pota pellit; subdita eadem præstat, & uteri sordes expurgat.

v. 5. Crollius, qui in Signaturis plantarum multus est, hanc similitudinem inter figuram uteri atque radicis Aristolochiæ rotundæ observavit, ut arbitror, primus. Quantam vim habeant hæ signaturæ rerum nescio; poeticæ non male conveniunt.

Dignius hoc tolli (tu nupta fatebere) curſum
Quam quod tardavit, pulchra Atalanta, tuum.
Hinc proprio fovet amplexu, nec pondera tanti
Auſa eſt arboribus credere mater humus.
Neve in me partus ſolventem molliter omnes
Mirandus terræ eſt omnipatentis amor.
Non falſus fuit ille animi qui carmine dixit,
Præſentem monſtrat quælibet herba Deum.
Nec falſa Egyptus coluit ſanctiſſima quondam
Florenti virides quæ pietate Deos.
Roma, quid indulges rhonchis? naſcuntur in hortis,
Naſcuntur campis numina denſa tuis.
Quid ſeges eſt niſi flava Ceres, & vitis Jacchus?
Veſtiturque Deis religioſus ager.
Et Lucina ego ſum; valvis bipatentibus arctas
Laxato vitæ cardine pando fores.
Ignoſcas precor ô temere mihi, Luna, loquutæ,
Impia ſi mihi vox excidit ore pio.

v. 9. Notiſſima fabula: vide Metam. 10.

v. 17. Allium Cepasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus, Plin. lib. 19. 6.

Porrum & cepe nefas, violare aut frangere morſu, Juv. Sat. 15.

v. 19. A romanis irridebatur hæc ſuperſtitio Ægyptiorum, quanquam omnigenum Deorum aviditſimis, ut patet (præter multa alia) ex illo notiſſimo ſcommate Juven. Sat. 15.

O ſanctas gentes quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! —

In me tu numen, tu in me Lucina moraris,
Et ſub perſona te tenet herba Deam.
Claudis & exiguo noſtræ radicis in orbe
Virtutum partem quas tuus orbis habet.
Ingentes refero victrix de morte triumphos,
Armis uſa meis, viribus uſa tuis.
Sum præfecta viis, totumque in corpore purgo,
Perfuncta ædilis nobile munus, iter.
Dilato anguſtum nimis, obſtructumque recludo,
Et late præceps omne quod obſtat ago.
Nulla objecta mora eſt animæque animæque miniſtris,
Ne poſſint puras ire redire vias.
Sentinas etiam exſicco, fœdasque paludes,
Hæreat in medio ne vaga turba luto.
Sed mihi mandata eſt cura propiore tuenda,
Ducit ad ætherias quæ via ſacra plagas.

v. 33. Ariſtolochia, præſertim rotunda, calida atque ſicca tertii gradus initio, adeoque valide cerebri & pulmonum lentam craſſamque pituitam expurgat, ut epilepſiæ ab utero, tuſſi & aſthmati conferat, & interiores rumpat abſceſſus, & abortum quoque provocet, Fernel. lib. 5. Meth. Med. Et, Ariſtolochia utraque amara & ſubacris, abſtergit & digerit, ſed rotunda craſſos humores validius extenuat, & ab iis natas obſtructiones promptius expedit; hinc aſthmaticis, ſuſpiriosis & pleuriticis auxilio eſt, cap. 20. Ariſtolochia multo validius lienem obſtructione liberat, laterisque doloribus auxiliatur, cap. 24.

v. 39. Putreſcentia ſanat & ſordida expurgat, Fernel. ibid. Et Ariſtot. utriusque radix ſtrenue abſtergit, ſed rotundæ potentius; putredines ſanat & exeſt, ulcerum ſordes expurgat, vermesque necat & extrahit, Id. lib. 10.

v. 42. Uterus, membra muliebria.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0154
DFG

Cimmerias patriæ tenebras cum linquere vellet,
Et nova cognatum cernere vita diem,
Thermopylas uteri ne mors prius occupet obsto,
Præcludatque arctum ne vigil hostis iter.
Mireris (nam, mirorum ditissima mater,
Nil natura magis prodigiale facit)
Quo materna modo pondus male mobile possint
Tantillo tantum claustra tenere sinu;
Quo moles tam magna modo, quo fulmine adacta,
Transeat angustæ limina clausa foris;
Compages uteri quo dura reciprocet æstu,
Quo sese evolvat, quo replicetque modo;
Quid laxet nodos, qua vi solida ossa dehiscant,
Qua subeant iterum vincula nota fide.
Non opis hoc nostræ, nec quicquid ubique potentum
Herbarum est, quotquot maxima terra parit.
Ipsaque vosque meæ, non segnis turba, sorores,
Instrumenta operis parva, sed apta, sumus.
At peragit Deus (ut facile est agnoscere) primas;
Nam dignus tanto vindice nodus adest.

v. 45. Celeberrimæ angustiæ montium in Græcia, quas Leonidas rex cum quatuor millibus occupavit, & numerosissimo Persarum exercitui adytum in Græciam intercludere ausus est; dictæ à πύλαι, *Portæ*, i. e. angustiæ montium, & *aquis calidis* scaturientibus, quæ cum cervice uteri non male conveniunt.

v. 55. In partu ossium commissuræ, nempe synchondrosis coxendicis cum osse sacro & pubis, & coccygis syneurosis solvuntur & mollescunt.

Ille jubet crescenti uterum decedere proli,
Crescentique utero cedere membra jubet:
Et concurrentis Symplegados ora resolvit,
Atque aperit molli saxea claustra manu.
Interea forti conatu industrius infans
Et capite audaci fissile tentat iter:
Interea magno mulier disrupta dolore,
Commotum totis artubus urget onus:
Et meus instigat penetrabilis ardor utrumque,
Et rarescentes cogit hiare plagas.
Sæpe intra miseræ funebria viscera matris,
Heu! nondum proles nata, sepulta jacet.
Incestat patrias vitæ mors impia sedes,
In tam fœcundo fertilis ipsa loco.
Spargit lethiferos inclusum funus odores,
Sarcophagumque suum (Monstra!) cadaver edit.
Quis credat? matrem tollit præposterus infans;
Et tumulum vivum mortuus ipse necat.

v. 61. *Nec deus interfit, nisi dignus vindice nodus Inciderit, —*
Horat. Hic autem contra regulam horatianam non peccatur.

v. 65. Symplegades insulæ, vel potius scopuli, in ostio Ponti Euxini, quas inter se concurrere poetæ finxerunt. Vide Valer. Flac. lib. 4. Et singularis in usu est Συμπληγάς, Mart.
Si constringantur gemina symplegade culi.

v. 68. Omnia animalia naturaliter in caput exeunt; obliqua autem, vel in pedes, contra naturam, Aristot. hist. Anim. lib. 7. 8.

Prodigium caſtæ Dii tantum avertite genti;
Nec niſi adulterio ſit labor ille datus.
Qua licet auxilior; putridum ſalva arbore fructum
Stringo; concuſſus molliter ille cadit.
Gaudeo, ne tanta præceps eat ipſa procella,
Quaſſatæ merces præcipitare ratis.
Sæpe fugit vinclis proles temeraria ruptis,
Exuvias linquens ſarcinulasque ſuas.
Linquitur & Chorion tunica, atque ſubucula ralla
Amnios, & turgens lacte placenta penus.
Lucinam implorat mulier recidiva ſecundam,
Nec miſeræ ad partum parturiiſſe ſat eſt.
Hic etiam miſeræ ſuccurro, uterumque repurgo:
Nec facilis, purus nec nimis ille labor.
Quas ibi ſuſtineam fortis detergere ſordes
Scitis; ſed nullus vir (precor) iſta ſciat.
Si ſciat, amittet multum venus improba juris,
Et minus incipies eſſe, cupido, ferox.
Sed quamvis arcana in me chirurgica virtus
Infixa ex alto vulnere tela trahat,

v. 88. Secundas.

v. 89. Exterior membrana fœtum in utero circumveſtiens, Χόριον, interior Ἄμνιος dicta eſt; unde hæc ſubuculam, illa tunicam refert. *Placenta* uteri, vel hepar uterinum, vel fortaſſe rectius mamma uterina, unde infans per vaſa umbilicalia partem nutrimenti haurit.

v. 99. Ariſtolochia utraque ſurculos & ſpicula extrahit, ſquamas offium illita educit, Fernel. ib.

Non tua, blande Cupido, revellere ſpicula conor;
Heu! male tunc uteri dicta patrona forem.
Una in me vis eſt, quam certe miror & ipſa,
(Ah quæ ſe poterit noſcere planta ſatis?)
Omnia ſunt tenebræ; multos meditata per annos,
Quod feci toties qua faciam arte rogo.
Nam tanta humanæ quæ præbeo commoda vitæ,
Piſcibus exitium, nec ſua fata, fero.
Ut me libarunt, patrias anima uda ſub undas,
Vitaque cum nullo murmure muta fugit.
Unde hoc fluctivagis bellum cum gentibus ortum?
Nam nec eas novi, nec nocuere mihi.
Et fœcunda magis vivunt animalia nusquam:
Perſequor hæc odio fertilitatis amans.
Exerit effectus ſeſe, præbetque videndum;
Sub terra radix cauſa profunda latet.

v. 103. Piſcatores Campaniæ eam quæ rotunda eſt venenum terræ vocant, coramque nobis contuſam immiſta calce in mari ſparſere: advolant piſces cupiditate mira, ſtatimque examinati fluitant, Plin. lib. 25. 8.

LENTISCUS.

(*Therebinthina Lentiſcus* LINN.)

Excipit hic oriunda Chio Lentiſcus; & inquit,
Nunc quod adeſt, non hoc temporis hujus opus.
Ut lubet in piſces (non hoc erit, optima, fraudi)
Et ſævi, & totum depopulare mare.
Viderit hoc Glauci quæ reddit in æquora piſces,
Viderit æquoreos quæ facit herba Deos.
Parva queri piget, o, quando hic, hic auſa Sabina eſt
Inter tot plantas ſtare ſceleſta pias:
Auſa ſacros aditus, & non violabile templum,
Vivificosque uteri cæde replere lares;

v. 1. Lentiſcus, anglice *The Maſtick Tree*, græce σχῖνος, & baccæ ejus σχῖναι. Nomen latinum fortaſſis à lentore lacrymæ & folii. Omnes fluxiones, non ſolum menſium, cohibet. Merito ei hæ partes contra Sabinam attribuuntur; non ſolum enim abortum prohibere creditur, ſed & ipſa ſemper fœcunda eſt, ut ex Ciceronis verſu diſcimus.

Jam vero ſemper viridis ſemperque gravata
Lentiſcus triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu;
Ter fruges fundens tria tempora monſtrat arandi.

Hujus arboris gummi Maſtiche dicitur; optimum genus in Chio naſcitur magna copia.

v. 5. Vid. fabul. ultimam 13. lib. Metam. Cum piſces in ripa explicuiſſet, illi contacta quadam herba in profundum profiluerunt: admiratus vim herbæ Glaucus eam deguſtat, ſeque eodem modo in mare proiiciens Deus marinus factus eſt. Prov. græc. Γλαῦκος φαγὼν πόαν οἰκεῖ ἐν θαλάσσῃ.

Impatiens ſceleris ſpem nudam occidere vitæ,
Et deſignatos auſa necare viros.
Infantem tenerum maternis abripere ulnis,
Extremus belli eſt immodicusque furor.
Hic intuta (nefas!) clauſi cuſtodia ventris,
Præſidiique parum viſcera matris habent.
At tantum natos civili tollitis ira.
Arma novercalis tarda, Aconita, manus.
O ignara mali, ſimplex & ruſtica Colchis,
Flagitiique artes erudienda novas!
Medeam erudiet pueros Medea Sabina
Doctius & citius dilacerare ſuos.
Ingenioſa parum es, vindictæque inſcia Progne:
Grande moræ pretium eſt; hic ſine vivat Itys.
Concumbasque fero quamvis invita marito,
Spemque novam Tereo, ventre tumente, feras.
Tunc matura odio, tunc noſtram admitte Sabinam,
Funeſtasque utero præparet illa dapes.
Ore caleſcentes avido vir devoret offas,
Et ſua viſceribus viſcera rapta tuis.
Quem vindicta facit, generoſum eſt crimen abortus;
Nunc faciunt nugæ deliciæque leves:
Ut vultum famæ componat adultera caſtum,
Ne ferat indicium criminis ipſa ſui;
Ut vitet ſumptus, & ſit Venus impia frugi,
Ne tua ſit nimium laxa, libido, domus:
Monſtrando ventri rugarum ut dedecus abſit,
Et matronales (res inhonoia) notæ.

Omnibus his cauſis æque officioſa Sabina eſt,
Nobilis ingenii ſedulitate mali.
Si conſpirarent homines cum germine tali,
Mox cultor vacuo nullus in orbe foret.
Vos brutis oculis ſpectacula vana daretis,
Materies veſtræ tota deeſſet opis.
At vos, quæ rapidum ſufflamine ſtringitis ævum,
Et Parcis dulces nectitis arte moras,
Utque eſtis pictæ florentia ſidera terræ,
Jure homini vitæ fata necisque datis,
Vos, o, infantum viva incunabula fœde
Vexantem, arboream flamma abolete ſtrygem.
Hoſtem naturæ ſceleratam tollite, & ipſum
Ter madida Lauru rite piate locum.

v. 45. Machina qua currus deſcenſu prono rapidus ſtringitur, i. e. retinetur.
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine conſul,
Juven. 8. Unde anguſti dictum. *Haterii ingenium ſufflaminandum eſſe.*

v. 47. Eodem jure fortaſſe quo cœli ſidera.

v. 50. *Nocte volunt, puerosque petunt nutricis egentes.*
Et vitiant canis corpora rapta ſuis:
Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris,
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis Strigibus nomen, etc.
Ovid. faſt. 6.

v. 52. Ritus antiquus luſtrandi.
——— *Cuperes luſtrari, ſiqua darentur*
Sulphura cum tædis, & ſi foret humida Laurus.

Se saltem Cretæ teneat natalibus arvis,
Pasiphaes uterum digna subire gravem,
Corporis hic duplicem unius feciſſet abortum:
O iterum nullo palma futura die!
Sed, puto, materna nunquam voluiſſet in alvo
Tam magnæ monſtrum dilaniare spei.
Nam pueros ſeptem forti fauſtoque quotannis
Ore voraturus ſemivir ille fuit.
Curre, Sabina, redi in patriam; nec forte queremur
Dictamnus tecum ſi popularis eat.

His dictis diviſi animi; varioque tumultu,
Murmure & incerto concio tota fremit,
At frondes commota Sabina erexit acutas,
Ut viſo ardentes hoſte leæna jubas:
Cuique prius ternos mater natura calores
Attribuit, calidam jam quater ira facit.

v. 53. Ubi magna copia creſcit, & unde in alias regiones proveniſſe creditur. Quidam Creticam Cupreſſum appellant, teſte Plin.

v. 54. Quæ Minotaurum peperit,
Semibovemque hominem, ſemihominemque bovem.
Gravem, i. e. gravidum: ſic Quinctil. *Gravis fructu vitis.*

v. 59. Minos victis Athenienſibus hanc juſſit eſſe partem ſtipendii quam penderent, ut ſeptem nobiles pueros quotannis in Cretam mitterent Minotauro obiiciendos.

v. 62. *Dictamnus popularis*, ejusdem patriæ, nempe cretica. Dictamnus autem mire efficax creditur ad expellendum embryonem.

v. 67. Vulgo dicunt *calidam tertiis grada.*

SABINA.

(*Juniperus Sabina* LINN.)

Tune, miſelle frutex (his turbida vocibus infit)
Tune inimicitias, ambitioſe, meas?
Tu celebrem mundo maledictis ſtringere plantam,
Et multa notam laude, miſelle frutex?
Tu, dentis medicina cavi, quam ſede remota
Vix in tonſtrinis ultima theca capit?
I nunc, votivas circum ſuſpende tabellas,
Atque onerent ramos parta trophæa tuos.
Inter tot titulos monumentaque tanta laborum,
Pars putridi dentes maxima laudis erunt.
An quoniam flentes tua lachryma dura catarrhos,
Et decurrentes lignea ſiſtit aquas,

v. 1. Herba ſabina, *Brathy* appellata à græcis, duorum generum eſt, altera tamarici ſimilis folio, altera cupreſſo; quare quidam creticam cupreſſum dixere —— partus emortuos appoſita extrahit & ſuffitu, Plin. lib. 24. 11. Anglice *Savin* dicitur. Crollius in ea ſignaturam venarum uteri vidit, mira (ut mihi videtur) perſpicacitate. Sabina (inquit *Fernel.*) tertio eſt gradu calidorum & ſiccorum, acris & valide digerens. Menſes, ſiquid aliud, provocat: fœtum etiam viventem enecat & mortuum eiicit.

v. 4. Nempe Maſtiche, lacryma ejus, in doloribus dentium vulgatiſſimum remedium. Maſtiche laudatiſſima Chia, candida, Plin.

Naturamne putas tenui constringere vinclo,
Conceptusque udam posse inhibere fugam?
Non ita; sed nomen fallaces vana per artes,
Et magno vilis planta licere, cupis.
Quod non es simulas, famæque imponere quæris:
Non ego sed quæ sim dissimulare volo.
Confiteor nondum natos me avellere fœtus:
Utere confessæ commoditate reæ.
Confiteor; nec tu, matre indulgentior ipsa,
Lachrymulis poteris hoc prohibere tuis.
Te comedat, totam te prægnans allinat alvum,
Junge & cum lenta mascula thura pice;
Et lapidem gestet (labor hic est Hercule dignus)
Herculeum; vires, credo, habet ille tuas.
Scilicet ille hominis primordia ferrea duri,
Invicta retinet fortiter ille fide.
Adsint Coraliumque Smaragdorumque cylindri,
Et circum digitos plurima Jaspis eat;
Indomitusque

v. 13. Ad firmandum fœtum atque uterum in iis quæ abortui sunt obnoxia nihil frequentius à medicis quam Mastiche & intus & extra adhibetur.

v. 25. *Lap. Herc.* i. e., Magnetem, ob admirabiles vires sic dictum. In manu gestet gravida (quæ abortum timet) Magnetem, vel umbilico apponat: brachio alliget, & sub alis gestet lapidem Aquilæ, vel qui in utero Cervæ aliquando reperitur: Corallia item, Jaspidas, Smaragdos, Adamantas, *Sennert.* Aliique passim eadem.

v. 29. Claudian. dicit,

—— *Vellitque Corallia Clotho;*

Indomitusque Adamas, & proles Unio Conchæ,
Quæ seſe & prolem claudere docta ſuam.
Ante omnes prægnantem Ætiten ferre ſub ulnis
Sit memor; imo illi conſule ferre duos.
Nil gerit in gravida ſobolem conſtantius alvo;
Æternum ſobolem providus ille gerit.
Omnia cum faciet, faciet tamen omnia fruſtra,
Attingat ſuccos ſi ſimul illa meos.
Confiteor; neque ero naturæ ingrata benignæ,
Ne tibi diſpliceam quæ mihi nulla places.
Hoc natura dedit, puto te ſapientior, ipſa,
Arboreus quamvis tu videare Cato.

& græce ſcribitur κοράλιον cum o: ſed his prævalere debet Ovidii autoritas, qui bis in metam. 4, & 15. habet Coralium.

Cylindros ex iis (Smaragdis) facere malunt quam gemmas, quoniam eſt ſumma commendatio in longitudine, Plin. lib. 37. 5.

v. 31. Margaritarum etiam pulvis paſſim præſcribitur.

v. 33. Ætites lapides ex argumento nominis magnam famam habent; reperiuntur in nidis aquilarum: ajunt binos inveniri, marem & fœminam, nec ſine iis parere quas diximus aquilas, & ideo binos tantum — Huic eſt in alvo lapis qui vocatur Callimus — Ætitæ omnes gravidis adalligatæ mulieribus vel quadrupedibus in pelliculis ſacrificatorum animalium continent partus, non niſi cum parturiant removendi, alioqui vulvæ excidunt; ſed niſi parturientibus auferantur, non pariunt, Plin. lib. 36. 21. Eſt lapis iſte prægnans; intus, eum quatias, alio velut in utero ſonante, Id. lib. 10. 3. Supra alligatus (inquit Lev. Lemnius de occult. Nat. mirac.) fœtum retinet: ad femora applicatus attrahit, partumque facilem reddit: & hoc uſu quotidie in Galliâ comprobatum eſſe.

Non in proliferam ſoleo ſubrepere furtim,
Aut domina invita vi penetrare domum.
Mallem ego formoſo formoſa vireſcere in horto,
Atque illibatas integra ferre comas.
Diſcerpor, tundor pilis, cædemque coacta
Sum facere indignam, ſed prius ipſa pati.
Jure quidem ſummo ſceleratam Colchida damnas
Numquid & in cultrum tranſit, inepta, ſcelus?
Quid nemus omne tibi niſi, non es ſobria, dicet,
Quando reas vites ebrietatis ages?
Vim Deus hanc tantam dono mihi non dedit; illam
Sed majora ſequi dona neceſſe fuit.
Nam menſes utero cunctatricesque ſecundas,
Membraque mortiferum mortua pondus ago.
Et per me liber nativo carcere fœtus
Attonito ignotum ſuſpicit ore diem.
Sed nihil, ah! tanto dignum videt ille labore:
Vellet & in tenebras, credo, redire ſuas.
Optaret veniſſe meum maturius hauſtum,
Cum nondum vivum perficeretur opus.
Quod ſcelus appellas, gravis autor, & eſſe fatebor;
Sed, lentiſce, hominum, non ſcelus eſſe meum.
Hoc emeret quanti primis ſub menſibus infans,
Si ſciret quod mox eſſet iturus iter?
Ah! minime prorſus decuit producere talem
Anguſtam in mundum difficilemque viam.
Ad cœlum ire putes magnis conatibus ægrum;
Cum pœna ad pœnas naſcitur innumeras.

Nixibus in lucem prodit lethalibus infans;
Ipſe dolor partus omina mortis habet.
Ah! quanti veneris fallacia gaudia conſtant!
Quam care matris nomina mater emit!
At tu dilecto cruciata puerpera morbo,
Quam vivum torquet (Vipera dulcis) onus,
Carpe meum propere folium, ne carpere differ;
Et crede in ſucco nectar ineſſe meo.
Protinus impulſu reſerantur clauſtra potenti;
Exitus è mundo vix magis ipſe patet.
Protinus à ramis maturus decidit infans,
Et plorat tantum, matre tacente, puer.
Illa rudi gaudet vagitu oblita doloris;
Auſa animo venerem mox agitare novam.
At tu legitimæ cui deſunt tempora lunæ,
(Noctem uteri princeps humida luna regit.)
Tu folium ne carpe meum, ne carpe, monebo;
Sed longe, quanquam pondere tarda, fuge.
A me concuſſus tota pluit arbore fœtus,
Atque Cadit, vel ſi fructus acerbus erat.
Hoc ego prædico, ne me poſt damna petita
Lentiſco dicas impoſuiſſe tibi.
Scilicet innocuæ non peccant ſponte puellæ,
Nulla volens unquam vel gravidata fuit.
Sed ſi ego non eſſem, credo, committere tantum
Nulla quidem poſſet (da voluiſſe) nefas.

At centum præstant operam bona germina eandem;
Exiliumque ideo si meruisse putor,
Exilii comites video non defore nostri;
Ibimus in Cretam quam bene magna cohors? 100
Ibis, Myrrha, simul mecum, virgo impia quondam,
Nunc pia, supplicio nunc pretiosa tuo.
Sed labefactasti neque tunc, licet impia, fœtum:
Quem fœtum? & crimen quem peperisse fuit.
Et Panaces magno mortem quod nomine terret, 105
Cumque Ammoniaco Galbana flava suo;
Divitibusque Laser planta inficianda Cyrenis,
Ni simul & lucri dulcis adesset odor.

v. 104. Nempe ex patre conceptum. Vid. fab. Metam. lib. 10.

v. 105. Panaces ipso nomine omnium morborum remedia promittit, Plin. lib. 25. 3. ἀπὸ τῶ πᾶν ἀκεῖν. Vocatur & Panax & Panacea, & propter eximias vires, Panax Herculeus. Virg. appellat *odoriferam Panaceam*. Est autem Panaces neutrius generis, sicut Cacoethes, Nepenthes, Hippomanes. Anglice vocatur *All-heal*. Ab hoc exsudat Opoponax, qui succus cum multis potestatibus & hanc obtinuit abigendi partus.

v. 106. Galbanum, gummi Ferulæ Syræ, Ammoniacum Cyrenaicæ.

v. 107. Propter odorem fœtidum. Planta ipsa Laserpitium proprie dicitur, succus Laser, i. e. Asa fœtida. Catul.

Laserpitiferis jacet Cyrenis.

Plin. lib. 19. 3. Laserpitium, quod græci Σίλφιον vocant, in Cyrenaica provincia repertum, magnificum in usu medicamentis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0168
DFG

Ibis, Thus terræ (nec Thura Sabæa moramur)
Ibis tu Luto quem, Croce, tinxit amor.
Ibis Ereuthodanum, & Colocynthis fellea, mecum,
Pictaque quæ varii terga Draconis habes:

v. 109. Abiga, *Ground-pine*, de qua supra. *Nec thura Sabæa moramur*, quia scilicet contrariæ virtutis existimantur, unde Sabina modo,

Junge & cum lenta mascula thura pice.

v. 110. Allusio adversum tibulli,

Sed nimus Luto corpora tingit amor.

Lutum, vel Luteum, vel Lutea, (λυσιμάχιον) herba erat croceo tingendo in usu. Virg.

——— *Croceo mutabit vellera Luto.*

Crocus amore Smilacis contabescens, in florem sui nominis conversus esse fingitur.

v. 111. Erythrodanum, anglice *Madder*, de quo prius. Alia est Erythrodanus, quam aliqui Ereuthodanum vocant, nos Rubiam, qua tinguntur lanæ, pellesque perficiuntur, etc. Plin. lib. 24. 11. Rubia radice atque semine pollet, callida ordine secundo, sicca tertio, eximia detergendi facultate insignis, qua jecur, lienem, renes atque uterum exquisite purgat: Nam Icterum sanat, lienem absumit, urinam crassam atque copiosam, nonnunquam & cruentam, movet, menses ciet, appositaque secundas ac fœtum detrahit, ut proinde minime sit tuta prægnanti, Fernel. lib. 5. meth. med.

Colocynthis, vel Cucurbita sylvestris, appellatur etiam Fel terræ, propter amaritudinem; & mors plantarum quia herbas quæ prope crescunt, aut necat aut amarescere facit. Anglice *Coloquintida*, vel *Bitter Gourd*. Nec puerorum nec senum nec prægnantium (fœtus enim vel supposita enecat) sed ætate duntaxat florentium & robustorum medicamentum est, Fernel. lib. 5. meth. med.

v. 112. Dracunculus, Dracontium, Serpentaria à quibusdam, anglice *Dragon*, à caule maculoso instar draconum Semen Dracunculi fervens mordaxque, tantumque inesse ei virus, ut olfactum gravidis abortum inferat, Plin. lib. 24. 16.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0169
DFG

Eminus & tacitis Cyclaminus noxia telis,
Nec temero gravidis tranſilienda pede:
Antidotusque aliis, ſed fœtibus ipſa venenum,
In cœtu nulli Ruta ſecunda pio.
Quid memorem reliquas? agmen ſumus; ipſa quoq; ibis
Quæ meritum à lochiis optima nomen habes.
Sed neque tu tandem, Præſes veneranda, manebis:
Surge, age, & exilium concomitare meum.
Finierat; favor orantem plauſuſque ſequuntur:
Nec cauſam dubium eſt obtinuiſſe ſuam.
Parthenis incepit; reverentia præſidis omnem
Compreſſit motum, conticuitque locus.

ARTEMISIA.

(*Artemiſia vulgaris* LINN.)

Cum te, chara ſoror, viridis reſpublica pellet,
Ire relegatæ non dubitabo comes.

v. 115. Quæcunque autem Ruta & per ſe pro antidoto valet, foliis tritis & ex vino ſumptis, contra aconitum maxime & viſcum; item fungos & ſerpentium ictus, utpote cum muſtelæ dimicaturæ cum his rutam prius edendo ſe muniant. Valent & contra ſcorpionum ictus & araneorum, apum, crabronum, veſparum aculeos, & cantharidas ac ſalamandras, canisve rabioſi morſus, etc. Plin. lib. 20. 13. Sed addit tandem, præcavendum eſt gravidis abſtineant hoc cibo, necari enim partus invenio.

v. 123. Artemiſia. Vide quæ prius.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0170
DFG

Si nos fœminei luimus ſcelera omnia ſexus,
Næ noſtra ecbolicæ ſtirps miſeranda domus.
Sit capiti ipſius ſiqua in ſua viſcera ſævit;
Nec pars, ſed totum mortis agatur opus.
Intempeſtiva cur nos accerſimur hora?
Illa dies noſtra eſt cum bona Juno venit.
Impia & infœlix, virtutis tempora tantæ
In magnum impatiens anticipare nefas!
At ſemel admiſſi non norunt otia ſucci,
Otia non norunt torpida; ſemper agunt.
Nec labor eſt magnus tabulata revellere nondum
Vel bene fixa ſolo, vel bene juncta domus.
Spreturam ventos cum ſint retinacula firma,
Nunc dubiam abripiet quælibet aura ratem.
Quid non evertit primordia frivola vitæ?
Nec mirum; vita eſt integra pene nihil.
Nunc perit, ah! tenui pereuntis odore lucernæ,
Et fumum hunc fumus fortior ille fugat.

v. 4. Plantæ quæ fœtum imperfectum aut mortuum eiiciunt.

v. 19. Miſeret, atque etiam pudet, æſtimantem quam ſit frivola animalium ſuperbiſſimi origo, cum plerumque abortus cauſa fiat odor à lucernarum extinctu. His principiis naſcuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, nec te alumnum quidem ejus exiſtimas, ſed partum, tu qui te Deum credis aliquo ſucceſſu tumens, tanti perire potuiſti, atque etiam hodie minoris potes, Plin. lib. 7. 7.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0171
DFG

Totum aquilis Cæsar rapidis circumvolet orbem,
Collegamque sibi vix ferat esse Jovem.
Quantula res quantos potuisset inepta triumphos,
Et magnum nasci vel prohibere Deum!
Exhæredasset moriente lucernula flamma
Tot dominis mundum numinibusque novis.
Tu quoque tantilli, juvenis Pellæe, perisses,
(Quam gratus terris ille fuisset odor?)
Tu tantum unius qui pauper regulus orbis,
Et prope privatus visus es esse tibi.
Nec tu tantum, idem potuisset tollere casus
Teque, Jovis fili, Bucephalumque tuum.
Dormitorque urbem male deleviset Agaso
Bucephalam e vestris, indica fata, libris.
Vix credenda quidem tam nugatoria pestis,
Mollitia hæc uteri ni mihi nota foret.
Ingratos scitis quantum aspernetur odores
Arcana olfactus tetricitate sui.
Vix bene prudenter, mihi credite; nam locus aptum
Deliciis tantis non habet ille situm.

v. 22. Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.
v. 26. Imperatoribus romanis, qui post obitum in deorum numerum plerique relati sunt.
v. 31. Ad eundem odorem equæ dicuntur abortire.
v. 38. Id est, si Agaso (qui curam equorum agit, *A Groom*) dormitans forte in stabulo equæ Bucephalo prægnantis extremitatem candelæ fœtentem reliquisset, in causa forsitan fuisset cur abortum faciente equa, Bucephala urbs (in memoriam illius celebris equi ædificata) nunquam condita fuisset.

At contra, totis bene-olentia ſenſibus haurit,
Occurritque illis, interiusque trahit.
Nec facile affectus cauſam indagare latentis,
Nec docti ſatis hanc explicuere viri.
Tentemus ſiquid melius poſſimus & ipſæ;
Ultima nam curſus tempora luna terit:
Et quæ de partu miracula mille ſuperſunt,
Conventum poſcunt diſcutienda novum.
Edita tu proavis, Cynareia planta, tyrannis,
Jam tandem offenſi gloria ſumma patris;
Jam ſacra, jam Divum gratiſſima naribus arbor,
Atque iterum virgo, virgo perenne manens,
Tu bene fœminei myſteria fœmina mundi
Commemorare potes, nam meminiſſe puto.
Teque olim patriæ natam inter aromata dulcis
Præclare fas eſt noſcere quid ſit odor.
Quinetiam infœlix cum te ratione minori
Tentantem fruſtra vincere vicit amor.
In medio longæ miſeram diſcrimine pugnæ,
Ah! ſæpe hyſtericam decubuiſſe ferunt.

v. 39. Inter veſicam & rectum inteſtinum poſitus.
v. 49. Myrrha, filia Cynaræ regis.
v. 51. Quæ adoletur Diis immortalibus thuris modo.
v. 55. Panchaiæ.

——— *ſi dives amomo,*
Cinnamaque Coſtumque ſuum ſudataque ligno
Thura ferat, floresque alios Panchaica tellus,
Dum ferat & Myrrham, etc.
Ovid. Metam. 10.

Ergo age, quæ tandem tua ſit ſententia pande:
Quid dubitas, nimium Myrrha modeſta, loqui?
Quid fles? quid rupto dimanant cortice guttæ?
Illa vetus nil jam culpa pudoris habet.
Fælices culpæ, lacrymas producere tales,
Et tantum terris quæ potuere bonum!
Nulla unquam merita eſt tantum virtutibus ipſis
Fœmina, tu quantum crimine, Myrrha, tuo.

MYRRHA.

(*Mimoſæ ſpecies?* BRUCE.)

At tandem abſtergens fletum Cynareis odorum,
Diductis leviter frondibus ora levat.
Incipit, exactoque calet mox lingua pudore;
Mox nulla ut pergat ſollicitanda prece.
Sic prima eſt cochleæ dura exantlatio ſiccæ;
Mox denſum pleno flumen ab ore vomit.
Nota quidem res eſt, aliis longe omnibus unam
Plura gynæcitin fundere verba tribum.
Inque illa longe reliquis plura omnibus unam
Fundere, ſiqua olim planta puella fuit.
Ergo hic hiſtoriam contexit origine ab ipſa,
Quaque licet, molli mitigat arte ſuam:
Quam longum illicito pugnavit fortis amori,
Et mala ne faceret, quam mala ſæva tulit:

Quam sit sæpe sua conata arcessere dextra
Mortem, dum potuit Myrrha pudica mori;
Impar cum sævo congressa cupidine virgo,
Sub juga qui magnas mittit ahena Deas.
Multaque præterea quæ mens mihi dicere non est,
Cum melius Naso dixerit illa prius.
Tum vero innumeros uteri (haud ignara) labores
Flebilibus fertur questa fuisse modis.
Vix ego, si ora mihi dentur muliebria centum,
Et detur pulmo roboris instar habens,
Tot genera & formas & nomina sæva malorum,
Tot varii vultus monstra referre queam.
Quæ superum invidia est tam multo milite mortis
Ipsius vitæ velle replere domum?
Quid tutum est homini, tua dulcia regna, voluptas,
Metropolimque tuam si dolor hostis habet?
Sed mihi præcipue Laurus mea rettulit illam,
Hysterici incursus ingemuisse mali.
Væ miseræ (dixit) totius corporis urbi,
Si castellum uteri vis inimica tenet!
Eminus hinc dirum jaculatur ubique vaporem,
Fit fuga vasta animæ qua vapor ille subit.
Spirituum turbas intercipit ille volantum.
Ut procul incautas teter Avernus aves.
Si stomachum attingit, stomachus collabitur æger,
Pensaque venarum semiperacta jacent.
Immemor officii dulces avertitur escas;
Friget & extincto cruda culina foco.

Cor petit? ipsa tremunt labefacta palatia cordis;
Vitale excusso sanguine turbat opus.
Intrantesque novos suspendit ad ostia fluctus;
Territa vel retro cedere vena jubet.
Et cava vel dubio, vel nullo, tympana pulsu,
Significant animæ prætereuntis iter.
Splendida lætities afflatu extinguitur atro,
Et spes, & quicquid pectore lumen habet.
Ut dicunt, Stygiis olim apparentibus umbris,
Oppressa tremulas luce perire faces.
At subeunt luctusque metusque odiumque diei,
Et formis horret scena maligna nigris.
Mox in processu fauces crudeliter ipsas
Carnificis stringunt vincula sæva mali.
Ætheria infelix aura non vescitur; ignis
Sola alimenta sui vita pyralis habet.
Sæpe & in alta volans caput occupat impigra pestis,
Ardentemque animi fertque rapitque domum.
Barbarico trahitur ratio captiva triumpho,
Nunc religata oculos, nunc religata manus.

v. 46. Vena cava ubi ingreditur dextrum cordis ventriculum.
v. 47. Arteriæ.
v. 48. Sanguinis, vel animæ in sanguine.
v. 58. In Cypri æreariis fornacibus ex medio igne majoris muscæ magnitudine volat pennatum quadrupes, appellatur Pyralis, à quibusdam Pyrausta: quamdiu in igne est, vivit; cum evasit longiore paulo volatu, emoritur, Plin. lib. 11. 36.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0176
DFG

Scilicet hanc hilaris miseram dementia ludit,
Et risu effræni viscera mœsta quatit.
Et (vigil ah frustra!) præsentia somnia narrat,
Miraturque suos non placuisse jocos.
Cuncta tremens pavet hæc, & cunctis illa minatur,
Ac miseranda jacet terribilisque simul.
Huic vanis irarum ardescunt ignibus ora,
Atque illi vanis imbribus ora madent.
Mortis imago alias premit exactissima, quacum
Collatus, vitæ somnus imago foret.
Constringit sensus torpor solidissimus omnes,
Arboreæque animæ non magis alta quies.
Nec levis aura potest tennes impellere pappos,
Siqua ex ore venit; sed, puto, nulla venit.
Defunctam hystericæ conjunge, jacere putabis
Defunctasve duas, hystericasve duas.
Hoc tanto in morbo (quis credat? sed tamen æquum est
Credere quam longus perdocet usus opem)
Subiice sopitis grave-olentes naribus auras;
Huic tetro cedet tetrior ille vapor.
Perdicum plumæ variæ suffimina sunto,
Humanæque comæ, quadrupedumque pili,

v. 75. Pappus, lanugo florum (proprie papaveris) Lucret.
——— Papposque volantes.
v. 83. Plumæ avium auxiliantur, inprimis perdicum, combustæ, *Sennert.*

Cornuaque coriumque boum, & quæ plurima quondam
Verruca ægroti crure tumescit equi.
Nil virtutis eget: Quis casus repperit istam?
Aut tantum ingenium casibus unde fuit?
Ure simul Petrelæa, & matrem Sulphur odorum,
Virosamque Assam, Castoreumque grave.
Hæc per mille poros, nervosque, viasque micantes,
Descendunt acie densa, uterumque petunt.
Ille omnes adytus contra munire superne,
Et claustra aggeribus firma tenere bonis.
Ergo in se magnis contractus nixibus ipse
(Nam spatio in magno vis male fusa perit)
Humoresque supervacuos fœdosque vapores
Emittit tristes inferiore via.

v. 85. Imprimis utiles sunt & à pluribus commendantur ut præsentaneum auxilium, & quod momento quasi mulieres suffocatas revocent, verrucæ quæ tibiis equorum adnascuntur, si in furno siccentur, & in pulverem redigantur, & fumus ex eo naribus obiiciatur injecto carbonibus, Idem,

v. 89. Πετρέλαιον, quasi *oleum petrarum*, ex quibus odore validissimo extillat.

Ex chymicorum sententia, quæ sane probabilis est.

v. 90. Grave-olentem: sic Plin. virus alarum, & mustelarum virus exitio est, i. e. odor. Colum. virus paludis, Virg.

——— *Virosaque pontus.*
Castorea ———

Statius tamen eo in bonam partem utitur:

——— *Atque omne benigne*
Virus odoriferis Arabum quod crescit in arvis,

Ubi virus significat rem multum non male olentem.

Non jam cura manet longinqua invadere regna;
Tutari cura eſt ſeque ſuosque lares.
Nec tandem Hannibali nova ſufficit agmina, poſſit
Ut procul Italiæ frangere victor opes,
Romanas aquilas & pila minantia circum
Carthago e muris cum videt ipſa ſuis.
His nares; uterum contra ſuffire memento
Quo placas magnos largus odore Deos.
Cinnamaque Ladanumque illic ſuppone caprinum,
Et Coſtum, & Stacten, ſi ſapis, adde meam,

v. 107. Λήδανον Herodot. ſed ionice, nam communiter Λάδανον ſcribitur, & corripitur à Marcello.

Arabia etiamnum & Ladano gloriatur, forte caſu hoc & injuria fieri odoris plures tradidere, capras, maleficum aliàs animal, odoratorum autem fruticum appetentius, tanquam intelligant pretia, carpere germinum caules præ-dulci liquore turgentes, diſtillantemque ab his caſus miſtura ſuccum improbo barbarum villo abſtergere, hunc glomerari pulvere, incoqui ſole, & ideo in Ladano caprarum pilos eſſe, Plin. lib. 12. 17.

v. 108. Sudant (Myrrhæ arbores) ſponte priusquam incidantur Stacten dictam, cui nulla præfertur.

v. 109. Zibeth vocatur odoramentum quoddam pingue, craſſum, nigri ſaponis facie, quod ſudor eſt animalis cui Felis eſt figura. Qui liquorem illum eſſe ejus ſemen arbitrantur, ineptiunt; Strigmentum enim eſt, non, ut putabas, humor extractus e loculis genitalibus, Scal. Exer. 211. 2.

Gazelæ vomica, cujus excellentiam probant Perſæ, ſi odorantibus ſanguis e naribus eliciatur, Id. Exerc. 211. 6. — Gazela tibi ignota non fuiſſet ex qua Moſchus: eſt autem Gazela tota capreoli facie, etc. ibid. Vide etiam Exercitat. 21.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0179
DFG

Sudorem ſacrum Zibethi, vomicamque Gazelæ
Ignotumque homini te genus, Ambar, habens,
Et mea quod ſpirat Panchaia ditibus hortis,
Atque revicturæ quod Rogus halat avis.
Nec tu Thura bonis dubites avertere Divis:
Dii bene concedent uſibus illa piis.
Tum membra obſcuro cernes undantia motu
Experrecti animi lucida ſigna dare.
Tum cava non ſolito fremere inteſtina tumultu,
Disjectique hoſtis tota ſonare fuga;
Subter & obſcœno ſtillare venena canali,
Sanguineasque iterum lene micare vias.
Et ſe ſæpe levant oculi, cœlumque requirunt,
Purpureusque redux floret in ore calor.
Ultima conſtrictas referant ſuſpiria fauces;
Ad vitæ expirat morbus & ipſe modum.

Quod tibi, dulcis odor, cum membro à nare remoto,
Et nari inviſo, quod tibi fœdus, odor?
Tu quoque qua cauſa, fœtor ſpurciſſime, bello
Tam clara & longe diſſita regna petis?
Qua vos, qua celeres emittitis arte ſagittas,
Naſus ubi, veſter tam procul arcus, abeſt?
Ergo

v. 110. Græci recentiores (veteres enim non noverunt) Ἄμβαρ appellant, quidam Ambarum, alii Ambram: quidam Balænæ ſemen eſſe putant, alii gummi arborum in mare delapſum, alii genus bituminis. Scaliger fungi ſpeciem eſſe.

Ergo aliqui ad cerebrum credunt pertingere ſolum,
Qua via ſub celſo fornice nota patet;
Cognatoque utero mox impertire cerebrum,
Aut triſte aut lætum quod ferat hoſpes odor.
Nec ſua ſæpe uterus, ſed gaudia gaudet amici,
Et læſi læſus ſæpe dolore dolet.
Quod cerebrum Pyladen, uterum delectat Oreſten;
Quod fugit & Pylades, noſter Oreſta fugis.
Non equidem inficior nodum quo jungit utrosque
Natura ſimili conciliatus amor.
Conceptusque ſuus, ſuus eſt & partus utrisque,
Atque ambo fœtus ora parentis habent.
Quid, quod ineſt nunquam ſatiata libido creandi?
Magnorumque capax, arctus utrisque ſinus?
Multaque prætereo (concurrunt multa in utrisque)
Scilicet hæc matrix corporis, illa animi eſt.
Sed tamen hæc iſti propria eſt ac priva facultas,
Nec caput & nares ſemper, agatne, rogat,
Surgere conantem atque urgentem vincula fruſtra
(Sæpe rebellantem vincula nulla tenent)

v. 148. Ut miniſter in ſacris Agonalibus.
Semper agatne rogat, nec niſi juſſus agit,
Ovid. Faſt. 1.

v. 149. Galeni motus autoritate nonnunquam putavi uterum nihil aut perexiguum e ſua ſede dimoveri: at ægrotarum mulierum modo querimonia modo precibus adductus, hunc ſæpe tactu deprehendi inſtar globi cujusdam in ventriculam efferri, eumque graviter opprimere; hinc & ſæpe manu depreſſus eſt, manifeſtoque in propriam ſe-

Suppositus revocat (naso ignorante quid actum)
Et firmat grato glutine blandus odor.
At descendentem devexo pondere eundem
(Nam proprio imbellis pondere sæpe labat)
Suppositus fugat occursu, fursumque repellit
Horrenda intentans arma molestus odor.
Sic cum tota suis gens olim excesserat arvis,
(Ingens finitimis undique terror agris)
Invitam ad patriæ semeruta tecta relictæ
Reppulit obstanti major ab hoste metus.
Ergo alias alii causas; sed nulla relatu
(Nam legistis eas, sat scio) digna novo.
Quid potero ipsa novi? mihi tu, doctissima Præses,
Fare aliquid, dicis; res ait ipsa, tace.
Fas parere tibi; verum reperire Deus me
Forte vetat, verum quærere & ipse jubet.
Longius hæc ratio, puteoque petatur ab imo:
Haurio si lente, da veniam, alta latet.
Admiranda vides, & bella & fœdera rerum;
His constat mundi musicus ille tenor.
Hæc qui haurire velit noto de fonte quaterno,
Gnaviter insanus cum ratione foret.

dem propulsus: neque id sane magis alienum videri debet quam ejusdem prolapsus quo totus fere procidit, Fernel. Alii tamen hunc adcensum uteri negant.

v. 157. Helvetii. Vide Histor. lib. 1. Comment. Cæsar.

v. 167. A notissima Democriti sententia, veritatem in profundo puteo latere.

Cauſarum hic varii ſe pandunt undique rami
Sed cauſis radix omnibus una ſubeſt.
Namque ea quæ vulgo jam quatuor eſſe putantur,
Non ſunt immenſi ſemina prima globi.
Theſauros elementorum congeſſit in illis
Verorum, in promptu Numen habere volens;
Principia unde ſuos depromere poſſet ad uſus,
Et miſta æternum ſuppeditare nova.
Infinita favis latitant elementa minutis;
Infinita homini, ſed numerata Deo.
Nec magis antiquus claro calor inſidet igne,
Famoſumque ſuæ frigus inhæret aquæ,
Quam vel amarities, dulcedo, alborque nigrorque,
Atque omnis, variæ copia naris, odor,
Vel noſtræ Ecbolicæ vires, vel ſtyptica virtus,
Propria materiæ puncta habuere ſuæ.
Terris cuncta, & aquis, flammisque animisque coæva.
Quid parce & timide dico? priora volo.
Nam quæ terræ & aquæ, flammæque animæq; vocantur,
Ex his compoſitum corpus habere reor.
Quippe — Sed oblatus ſubito vocem abripit horror,
Nam longe verſa janua clave ſonat.
Intrantemque ipſum cultorem nobilis horti
Vidit Ruta procul; vidit, & intremuit.
(Nam nulla in terris diſtantia longius heroa
Purgatrix oculi quam bona Ruta videt)

Et fugite hinc propere ſubmiſſa voce ſuſurrat;
Cultor adeſt horti, diffugiamus, ait.
Nondum erat orta dies, ſed luce afflata propinqua
Luna iter admiſſis præcipitabat equis.
Nec ſe more ſuo tam matutinus agebat;
Sed caſu e ſomnis excitus ille novo.
Nam ſubitis uteri lacerata laboribus uxor,
Inclamabat opem, Juno benigna, tuam.
Ille autem, qui vel centum Junonibus horti
Prætulit attonitus germina multa ſui,
Quæſitum huc propere Cyclaminum forte cucurrit,
Quo lentum excuteret parturientis onus.
Ut procul aſpexere virum, ſeſe ocyus omnis,
Sed furtim, & nullo murmure, turba levat.
Et breviter Præſes, nunc miſſa eſt; ite, ſorores:
Interruptum alias perficietur opus.
Diſcedunt, nulloque ſono nulloque tumultu
Areolas repetunt germina quæque ſuas.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0184
DFG

PLANTARUM.

LIBER TERTIUS.

FLORA.

****

Nunc, ſiquando, mihi, nunc lætum, Muſa, renide,
Tempus adeſt veris; temporis ora refer.
Nunc varia innumeros, facundia, pande colores,
Et quicquid florum picta poeſis habet.
Undique ſe trudant viridanti e carmine gemmæ,
Et reſonet toto muſica verna libro:
Undique laudis odor dulciſſimus halet, & omnis
Plusquam Pæſtanas pagina fundat opes.
Undique formoſas lumen diſcriminet umbras;
Nullaque non veris gaudia carmen agat.

Primus, Io, Maii, mundo gratiſſimus omni,
Primus, Io, venit, præcipuusque dies.
Hoc olim (ſic fama) die (nec rumor inanis
Sed ſic fama refert vatibus orta ſacris)
Nupſit odorato Chloris formoſa marito,
Nupſit, & ex illo tempore facta Dea eſt.

Tunc & terra ferax, & cœlum, & pontus & aer,
Publica lætitiæ ſigna dedere ſuæ.
Nulla erat in toto nubes circumvaga cœlo,
Vel ſi forſan erat, picta decenter erat.
Nullus compoſito ſpirabat in aëre ventus,
Aut hilares ſollicitabat aquas.
Vel ſi forſan erat, dulces ſpirabat odores,
Mulcebatque hilares officioſus aquas.
Tunc mille ignotis florum radiare figuris,
Attonitam monſtro fertilitatis humum.
Tunc nova per ſteriles ſe attollere Lilia montes,
Innocuosque Rubos dulce nitere Roſis.
Pro triſti Urtica pro vulnifico Paliuro,
Narciſſum & Violam ſurgere purpuream,
Hunc talem tantumque diem, de virgini cruda
Quo facta eſt eadem fœmina, quoque Dea.
Grata quidem ludis celebravit Flora quotannis,
Et voluit lauta religione coli.
Dum Dea romanæ manſit non ultima gentis
Et Numen domina dives in urbe fuit.
At tandem omnigenum turba comitante Deorum,
Cum vaga Romanis finibus exul, abit,
Ludorum, & pompæ, templique & thuris honore.
Omnibus & Divæ diſpoliata bonis.
Cum generi infælix humano deſiit eſſe;
Et cœpit tantum floribus eſſe Dea.
Quo potuit miſeranda modo (non more vetuſto
Prodiga inexhauſtas cum male ſparſit opes.

Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia tanto
Culmine dejecti numinis eſſe poteſt.)
Sed furtim modiceque & libertate modeſta
Et coluit tamen hunc, & colit usque diem:
Quoque magis variis diſperſum partibus orbis,
Regnum obeat florum, quod ſibi reſtat adhuc.
Hæc, memor officii, ſolennia ſacra quotannis,
Nunc his, nunc aliis partibus orbis agit.
Nec labor eſt illi terras peragrare remotas,
Et late mundum viſere floriferum.
Nam pictis Zephyri vaga curribus aëra tranat,
Et placidum auriga conjuge radit iter.
Annus erat longe ante alios pulcherrimus annos,
Annus, Io, nomen cui Carolinus erat,
Aureus ille quidem cœlo proceſſit ovanti,
Cinxeruntque aureis aſtra benigna choris.
Ille dedit toti pacem mitiſſimus orbi.
Ille fores Jani clauſit ubique ſui.
Ille dedit majus tibi, fauſta Britannia, donum,
Ille tibi pacem Carolidemque dedit.
Viginti annorum reparavit damna malorum,
Compoſuitque vetus jam, validumque chaos.
Nec fuerant urbes tantum illi atque Oppida curæ,
Reſpexit flores, arboreumque genus.
Reſtituit ſylvarum, hortorumque auxit honores;
Et nullum nitidæ pacis omiſit opus.
Ipſa Deos reliquos & dulcia Numina ruris,
Exul Flora diu concomitata redit,

Illam ego curvatæ dorso super Iridis altam
Vidi equidem (mihi tum musa specilla dedit)
Anglica purpureo repetentem regna triumpho,
In pompa agnovi versicolore Deam.
Substitit illa tua, Thamisis, celeberrime, ripa,
Cui chara ante alias & vetus hospes erat.
Hic Dea totius conventum indixerat orbis
Floribus, hic justo conveniuntque loco.
Convenere omnes, quotquot plaga fervida torret,
Frigida constringit, vel moderata fovet.
Quotquot prima dies roseo de carcere Eoo
Erumpens, madidi luminis imbre rigat.
Quotquot sera dies pronæ contermina metæ
Lumine purpureo florida & ipsa videt.
Germina conveniunt, non hæc (ne forte putetis)
Quæ radice alta fixa videtis humo.
Fixa videtis humo, nec se posse ipsa levare,
Vivere materno vel male rapta sinu.
Quis negat? at certe venere (quid impedit) illa
Quæ vidisset sacra mente Platona ferunt:
Agnovisse ferunt simul, Ideasque vocasse,
Divinumque genus, filiolasque Jovis.
O quanta ætheriis quam fulgida gloria plantis,
Quantus honor nudæ est Archetypæque Rosæ?
Qualis odor, quantusque rubor! sed & hæc tamen ipsa
Nostrates multum est dicta referre rosas.
At constans & firma per omnia sæcula vernat,
Non violabile habens occiduumve decus.

Namque Idæa rosa est Divinæ mentis imago,
At Rosa terrestris, quæque superbit humi.
A Jove plus distans vel imaginis hujus imago est,
Quid mirum, stabili si minus ore nitet?
Talia conveniunt viva exemplaria gentis
Florea floridulæ; concelebrantque diem.

Tanta, tot istius spectacula Dædala lucis,
Pingere tu, credo, solus, Apollo, potes.
Tu qui periculo radiorum pingis, Apollo,
Hoc varium mundi multicoloris opus.
An possis plane dubito describere versu,
Plantarum & vatum sis licet ipse Deus.
Confiteor rem tantam operum non esse meorum;
Pauca legam, ritu prætereuntis Apis.
Fasciculus nobis e tanto parvulus horto,
Sufficiens unus, sit modo dulcis, erit.

Cum jam solennis pars magna peracta diei
Esset odoratis magnificisque sacris.
(Sacris, quæ nec lingua potest humana referre
Forsitan, & quæ sit forte referre nefas)
Judicio tandem placuit certare jocoso;
(Sed res certe acta est acrius illa joco)
Reginam hortorum regni si vellet amæni,
Et quasi pronumen Diva creare suum.
Quæ foret ingenti dignissima nomine planta,
Et tituli radiis nobilitanda novi.

Scena recurvatis ſtabat topiaria ramis,
Exigui formam templi imitata cavam.
Multa arbor, multusque frutex bene olentibus umbris,
Et lepide pictis compoſuere Tholum.
Punica ibi, regale rubens, & candida Jaſme,
Candidaque Idaliæ Myrtus amata Deæ.
Et flore argento ſimili ſtetit Aurea Malus,
Tota odor; atque Maris Ros & utrumque Lilac.
Lenta Periclymenos, vultuque Colutea flavo,
Intextusque Roſæ multus ubique decor.
Et pulchrum quicunque alius caput extulit alte
(Emblema adjectum) flos variabat opus.
Interius poſita eſt ſummi teſtudine templi
Sub media, ſedes judicis alta Deæ.
Conflata innumerabilibus (mirabile dictu)
Ex foliis horti verſicoloris erat.
Quæ variis oculos ludebant ſcita figuris,
Non effabilibus conſociata modis.

v. 134. Album & cæruleum, alio nomine dicitur Syrinx vel Syringa alba aut cærulea, quod ſurculos ſpargat (aliquando & truncum arboreum cærulea) fungoſa medulla plenos in morem Sambuci, & fiſtulis effingendis aptos, unde & anglice vocatur *Pipetree*, ſpicam vel racemum portat florum minutorum, cærulea longiorem, alba breviorem, odoratorum. *Syringa vulgaris* LINN.

v. 135. Frutex familiaris flore odoro, vulgo dictus Caprifolia vel Matriſilva. Angl. *Woodbind*, *Honyſuckle*. *Lonicera Caprifolium* LINN.

Arbor florem ferens ſimilem geniſtæ, à noſtratibus Sena notha dicta, quod folium habeat non diſſimile Senæ, vim autem purgandi acriorem multo & periculoſam. *Colutea arboreſcens* LINN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0190
DFG

Vermiculatum opus egregie, gemmisque per artem
Disposítis solidum, tessérulisve putes.
Nil opus est solido; sunt tenuia corpora Divis.
Quæque super pappis firma sedere queant.
Illa sedet tota cum majestate venusta
Immensæ poterant quam dare veris opes.
Illa ariadnæa frontem stellata corona,
Iridis & festa veste superba sedet.
Ante Deæ solium & nullis non mite tribunal;
Stabat in officiis turba parata suis.
Mollibus & pictis, sed &, heu! pernicibus alis,
Subnixa horarum bis duodena cohors.
Has prope ter deni stabant ex ordine pulchri,
Insignesque pedum mobilitate, Dies.
Vos quoque bis seni sed vultu dispare menses;
Sedula lunares gens agitare rotas.
Ver aderat, roseus juvenis, sua in ora notatus,
Attrahere haud raro judicis ora Deæ.
Pulchra quoque astabat, cultuque, modestior Æstas,
Spicea serta illi, flavaque vestis erat.
Pomonæque tumens, Bacchique Autumnus honore,
Purpureas vitis qui pede calcat opes.
Et parvo contenta, famemque & frigora spernens,
Tempestas plane stoica, pauper Hyems.
Non tamen huic nullum indulsit natura nitorem,
Nec vel languenti gratia nulla solo est.
Rebus in adversis tristem non deserit annum
Plantarum fragili natio tota fide.

Sunt aliquæ plantæ (ſunt flores inter amænos,
Deliciis natum luxuriæque genus)
Quas hyemis nunquam certe infœlicis amicas
Eſſe pudet, non ſi terra polusque fremant.
Sunt paucæ fateor, ſunt germina parva minorum
Gentium, at à meritis nobilitata ſuis.
Ergo hyemem primam (dedit hunc novus annus honorem,
Atque hyemi vultu Janus utroque favens)
Diva ſuam juſſit non magnam educere turmam,
Copiolamque inopem, gloriolamque levem.
Paret hyems, raro diſponit & agmine flores
(Virtuti haud numero fidere ſueta) ſuos.

Stant acie in prima duo florum pæne gigantes
Pigmeas inter militias hyemis.
Nobile Mezereon mater Laurumque tinum quos
Pæne gigantæo nomine terra vocat.

v. 187. Chamælæa germanica, angl. *Spurg Olive*, *or Dwarf Bay*. 1. Laurus pumila, nec differre videtur à Chamædaphne Dioſcorid. Arab. Mezereon dicitur, floret circa calendas Januar. frutex eſt, aliquando in altitudinem ſex pedum creſcens, & multos ramulos diffundens, folio Liguſtri, ſed minore, & pallidiore: racemis florum minutorum ex ipſo ligno erumpentibus, quibusdam ſaturi, aliis diluti ruboris, odoratis. *Daphne Mezereum* LINN.

Quamobrem ita vocetur neſcio, aliqui Laurum ſylveſtrem vocant, æque male. Tini meminit Plin. Hanc (ait) ſylveſtrem Laurum aliqui intelligunt, nonnulli ſui generis arborem: differt colore, eſt enim cærulea bacca, lib. 15. cap. 30. Pumila eſt planta (verba ſunt Bapt. Portæ, ſed in Angl. novem pedes altas vidi) foliis inodora admodum

Quæ ſi florerent minus anni tempore duro
Germina, vix nomen florum habitura puto.
Nunc ita cenſentur; titulumque hunc forma mereri
Et non indignus vere probabit odor.
Stat juxta, quam ſæpe malæ legere novercæ,
Quam genuit triplicis ſpuma cruenta canis,
Planta nocens, duris plerumque in cautibus orta,
Nomen & inde ferum, durior ipſa, trahens.
Nunc viget, auratumque caput levat improba terra,
Nec, ſimilis patri, ſolis ad ora tremit.

florida, etiam Hyeme, quo tempore maxime expetitur opere topiario, flos in umbella corymbacea ex albo purpureus, ſemine ut Terebinthi, gigartis uvarum ex argento in cæruleum luridis, & Celaſtrum Theophraſti putat eſſe. *Viburnum Tinus* LINN.

v. 193. Aconitum. *Wolfs-bane*, angl. floret menſe Januario (nempe aconitum hyemale dictum, *Helleborus hyemalis* LINN. Sunt enim aliæ ſpecies) conſtat omnium venenorum ocyſſimum eſſe Aconitum, & tactis quoque genitalibus feminini ſexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum quo interemptas à Calphur. Beſtia uxores M. Cæcilius accuſator objecit, hinc illa atrox peroratio. Ejus in digito mortuas. Fabulæ narravere, a ſpumis cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule, ideoque apud Heracleam Ponticam ubi monſtratur is ad inferos aditus gigni, Plin. l. 27. c. 2. addit 3. Naſcitur in nudis cautibus, quas Aconas vocant, & ideo Aconitum aliqui dixere, nullo ne pulvere quidem nutriente, hanc aliqui rationem nominis attulere, alii, quoniam vis eadem in morte eſſet, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, ſtatimque admota velocitas ſentiretur. Poſtrema ratio nominis ſatis inepta eſt priorem probat Ovidius.

Quæ quia naſcuntur dura vivacia caute,
Mortales Aconita vocant ——

florem habent Ranunculo ſimilem, radicem Anemonæ.

At prope Leucoion tenerum tremit ore modeſto,
Territa vicinæ proximitate malæ.
Illa nives inter niveæque ſimillima guttæ,
Dignoſcenda tamen, candidiorque nitet.
Nobilis hanc ſequitur cœleſti concolor oræ
Hepatica, atque omni cærula nube caret.
A ſe ſervato clarum & venerabile terris
Sanguinis artifici viſcere nomen habens.
Conſcia virtutis fæva inter frigora brumæ,
Proſilit è duro, planta puſilla, ſolo.
Aſpectus aliæ molles & tempora cœli;
Et ſolem & zephyros, opperiantur, ait.
Proſilit illa ferox, heu, caule tenerrima nudo,
Præpopera, & foliis incomitata ſuis.
Primula jungitur his, quam ver cognominat ipſum,
Et decorat vernus purpureusque color:
Atque anemonarum, cyclaminorumque crocorum;
Audax ſub dio quoddam hyemare genus.

v. 199. Nempe Leucoium bulboſum præcox (nam Leucoium ſignificat *Stock-gilliflowers*, & Leucoium luteum, *Wall-flowers*) quod Febr. floret, vel aliquando ſub finem Januarii; aliqui violam albam bulboſam appellant; angli *the Bulbous Violet, or Snow drops*, quaſi dicas guttas nivis, *Leucoium vernum* LINN.

v. 203. Hepatica nobilis; *noble Liverwort. Anemone Hepatica* LINN.

v. 213. Primula veris cærulea vel purpurea, quæ media hyeme floret, nam reliqua genera tardiora vernaque ſunt. *Blew Primroſes. Primula veris acaulis* LINN.

v. 216. Anemonæ arte & ſatione tempeſtiva quovis anni menſe florent, ſed & ſponte quædam Februario, ſicut & Cyclamini, Crocique.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0194
DFG

Quas velut iſtius non veras temporis herbas
Diva ad gentiles juſſit abire ſuas.
Reſtabat canæ genuino ex milite brumæ,
Helleborus, gelidi gloria prima ſoli.
Solus hic auſus erat pulchrum certamen inire.
Floreaque intrepidus poſcere regna ſibi.
Et radice nigra ſeſiſtens ante tribunal
Pallidulo cæpit fortiter ore loqui.

HELLEBORUS NIGER.

(*Helleborus niger* LINN.)

Non mihi nunc animus formæ contendere honore,
Lilia vobiscum purpureaque Roſa.
Prætidas hæc olim veſania perdidit, auſas
Junonï vultus æquiparare ſuos.

v. 219. Hellebor. *Bears foot*, floret Decembri, unde & angl. dictus eſt, *Chriſtmas-Flower*. Flos Roſæ albæ ſimplici ſimilis. *Helleborus niger* LINN.

v. 3. Melampodis famæ divinationis artibus nota eſt, ab hoc appellatur unum Hellebori genus Melampodion, aliqui paſtorem eodem nomine inveniſſe tradunt, capras purgari paſto illo animadvertentem, datoque lacte earum ſanaſſe Prætidas furentes. Plin. lib. 25. c. 5. Prætides Præti Argivorum regis filiæ, Iphianaſſa, Lyſippe, Mæra, & Euriale dictæ, quæ cum ſe forma Junonem ſuperare jactitaſſent, in eum furorem actæ ſunt, ut ſe Vaccas eſſe crederent.

Prætides implerunt falſis mugitibus agros.

Cum subito falsis silvam mugitibus implent,
Seque putant turpes rus peragrare Boves.
Hæc ego curavi læsæ deliria mentis,
Humanamque iterum vocem animumque dedi.
Et meus haud pretium retulit vulgare Melampus
Conscendens thalamos, Iphianassa, tuos.
Nec mihi stultitiam quisquam exprobabit eandem,
Quam pepulit plantæ vis animosa meæ.
Forma bonum magnis solidum atque fidele Deabus,
Cum cœlo & magnis illa coæva Deis,
Non illam hostili irrumpens capit impete morbus,
Nec longi expugnant obsidione dies.
Frivola res forma est in floribus atque puellis,
Par hominum vitæ frivola ridiculæ.
Talis inauratæ fugitiva superbia nubis
Quam Phœbi artificis lucida pingit acus.
Nunc lætum nitet ac ridet, sed proxima tristes
Turpiter in lacrymas desinere hora videt.
Hæc teneros angusta coarctat gloria flores,
Hos male cancellos Hemerocallis habet.

Illos

Virg. Melampus autem (sive augur ille celebris, sive alius)

——— *Helleboro auravit eas &*
Iphianassam uxorem duxit certe Melampus.

Virg. Medicas dicitur. *Georg. 3.*

——— *Cessere magistri*
Phyllirides Chiron, Amathaomusque Melampus.

v. 24. Hemerocallis antiquorum flos diversus est diversis autoribus, Dioscoridi ex genere Liliorum est; Theoph.

Illos & pluviæ necat, & vis improba venti,
Illos aſtrorum cæca venena necant.
Ut Semele infœlix inter blanda oſcula Solis,
Atque ſui, pereunt ipſo in amore Dei.
Illis per fibras cæſim læthale calores.
Mortiferum punctim frigora vulnus agunt.
Frigora ſi veniant Progne pernicibus alis
Adventum brumæ non magis ipſa fugit.
Siquis in hac, Divum æternis flos dignior hortis,
Tam fragili vitæ conditione brevis.
Siquis ſubjecit pedibus ſtrepitumque furoremque
Et raucas hyemis terribilesque minas.
Indomitusque nives calcat, pluviasque repellit
Victor, & aeriæ bella ſonora plagæ.
Huic, Dea, pro meritis da ſceptra hortenſia tantis,
Imperium in flores da, Dea juſta, tuos.

longe alius, & Plin. qui eam folio coronare dicit. Nomen certe maximæ parti florum convenit, ſed minus fortaſſe Lilio quam plurisque aliis, ſi à fugacitate titulum obtinuit.

v. 39. Audiamus unum Plin. Medetur morbis comitialibus, vertigini, melancholicis, inſanientibus, lymphaticis, elephantiæ albæ, lepris, tetano, tremulis, podagricis, hydropicis, incipientibus tympanicis, ſtomachicis, ſpaſticis, clinicis, ichiadicis, quartanis, quæ aliter non deſinant, tuſſi veteri, inflammationibus, torminibus. Hæc omnia cumulatim, ſed & multa alia ſparſim attribuit. Libet nunc titulos videre Imperat. Juſtiniani, Imperator, Cæſar, Flavius Juſtinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Fœlix, Inclytus, Victor ac Triumphator, ſemper Auguſtus. Satis hæc glorioſa, ſed profecto Imperator Helleboro noſtro immane quantum inferior eſt.

Sola quidem virtus facit & ſapientia regem,
Si bene rex magni dictus imago Dei.
Hac ego confidens, non formæ dote ſuperba,
Florea non temere vindico regna mihi:
Nec forti imbellis mihi cedere turba rubeſcat,
Luxuria & vernis ebria, turba bonis.
Venit hyems; eheu! lætus modo; nunc ſimul annus
Lugentis vultus atque furentis habet.
Undique carceribus venti effunduntur apertis,
Et late infœlix diſpoliatur ager.
Frondibus arboreis primo conamine raptis
Truncum & radices vix ſua ſervat humus.
Imbribus immodicis latet obruta terra, vel illa
Lanatis nivium tota operitur aquis.
Vel concreta gelu riget, & ſimul ipſa ſuperne,
Fert ripam in dorſo fluminis unda novam.
Marmoreo in tumulo natura ſepulta videtur;
Frigora captivam deſidioſa tenent.
Germina miraris tanto in diſcrimine rerum
Multa mori; ingenti multa latere metu?
Aſpice languidulo nictantem lumine, & ipſum,
Plantarum credes non bene habere Deum.
Nunc, Violæ, nunc o bellæ prodite Tulipæ,
Nunc, Roſa, purpureum pande ſuperba Decus.
Quid nitidi vivas expromere, Lilia, vultus
Ceſſatis (propria eſt hæc nivis hora) nives?
Omnia ſecretis conduntur germina in antris,
Omnia ſurda jacent, omnia muta metu.

Auſa laborantis tanta in formidine mundi
Pæne ego belligerum ſola levare caput.
Nec me virtutis, nec me Rationis egentem
Circumſtat telis millibus acris Hyems.
Quod tibi ſi mens eſt reginam, Diva, creare,
Et titulo plantam nobilitare ſacro.
Conveniant omnes, te coram judice certent,
Ut dignam tanto munere, Diva legas.
Cauta ſed in mediam conventum indicito brumam,
Quæque petunt fortem tempora dura ducem.
Siqua ex molliculis, ſiqua ex redolentibus iſtis,
Et nimia ornatis ambitione venit,
Si caput audebit pulchellum oſtendere, cedo;
Pulchellum exornet pulchra corona caput.
Nulla quidem veniet; diſcrimine picta venuſtas
Tam magno imperium non bene credet emi.
At ſolæ comparebunt non divite cultu,
Quas, Dea, nunc comites cernis adeſſe meas.
Nec ſibi nunc (non eſt fiducia tanta) petitum
Adveniunt iſtæ, ſed mihi regna vovent.
Fortiter hæc patior; quid agam nunc fortiter audi,
Cognita nam virtus parte in utraque mea eſt.
Nec ſolum invictum bellis civilibus eſſe,
Sed late populos vincere regis opus.
Si mihi de partis cognomina clara triumphis,
Atque honor ex omni ſurgeret hoſte novus.

Vix (puto) romanus vel jactantissimus olim
Tot titulos princeps accumulare potest.
Serpentes late cancros, scabiemque vagantem
Monstra superveniens irrequieta domo;
Quartanas cunctatrices lentoque duello
Terribiles celerem carpere cogo fugam.
Cum vertigo rotat cerebrum, sufflamine nostro
Sistitur, & firmo permanet orbe caput.
Cum membris exundat aquosus & æstuat hydrops,
Siccatur nostro pulvere dira palus.
Quid memorem reliquos, cum morbum tollo caducum
Sit licet herculeus, sit sacer ille licet?
Quid memorem morbos? mihi mors apoplectica cedit
Neve anima patior membra manente mori.
Magna quidem memoro; sed & his majora superfunt,
Tantaque res meriti pars quotacunque mei est.
Me penes est unum læsæ curatio mentis,
Efficere hoc solis Diisque mihique licet.
Insanis medeor stultisque, quid addere possit,
Quæ majora mihi vel dare regna Deus?
Qui facit hoc, illi est totus provincia mundus,
Imperium magno Cæsare majus habet.

Dixerat, & læto comites plausere tumultu,
Ipsaque (si fas est credere) risit hyems.

Protenus eduxit legiones purpureum ver.
Florea per totum funditur umbra solum
Vix (puto) qui tanta potuit facundus Homerus
Argolicas acies dinumerare fide.
Vix (puto) tot poterat formosa examina florum
Exacta & certa dinumerare fide.
O ver! o pulchræ ductor pulcherrime gentis!
O florum Xerxes innumerabilium?
Quos ego (nam gens est non aversata liquores)
Epotare etiam flumina posse reor.
Talis erat pictis fulgens exercitus armis,
Et forma atque ingens arma fuere decor.

Nomine tum formaque tubæ flos æmulus æreæ,
Stans medio, clarum ter dedit ore sonum.
Edicitque alta voce, ut simul audiat omnis.
Concio (nam vox est candida & alta tubæ.)
Quisquis (Io) florum quos hic astare videmus,
Non petitis regnum, cedite rite loco.
Rite prius sanctum venerati Numen abite,
Qui regnum ambitus, vos remanete loco.

v. 131. Ex genere Pseudonarcissorum juncifoliorum, propter figuram tubi in medio flore à Gall. Trompettes dicitur, ut a nostratibus, *Trompets*, vel, *Bastard Junquilias*.

Prima racemosi submisso vertice caulis.
Ante Deæ solium judicis, Orchis abit.
Orchis apes portans maculoso examine pictas,
Monstraque ridiculi ludicra floris habens.
Orchis, quam Satyri & nequam Deus ille Priapus,
Et Venus, & judex nostra vel ipsa probat.
Hanc sequitur cognata canini nominis herba,
Nec minus ipsa iisdem fida ministra Deis.
His quoque se jungunt pulchri comites Hyacinthi,
Nobilis illa, potens, & numerosa domus.

v. 139. Famosissimo nomine Satyrion, à libidinosis Satyrorum testiculis. Ὄρχεις testiculi, quorum & figuram radices referunt, & vim mirifice augere dicuntur. *Dioscor.* scribit à Romanis, Molorticulum Veneris nominari, quasi (interprete *Lauremhergio*) efficax in permolendo orticulo muliebri. Multæ sunt Orchidum species, sed tres à floris figura cognominatæ, nempe Orchis Sphyodes, Melittias, Myodes. Angl. *The Wasps Orchis*, (quam male *Parkinsonus* noster appellat, *The Gnats Orchis*, σφηξ enim vespa est, non culex) *The Bees Orchis*, *The Flies Orchis*.

v. 145. Dens caninus. *Doogs-tooth.* Flore albo vel purpureo, ex Satyriorum (ut quidam existimant) genere, & Satyrion erythronium, Τεράφυλλον *Dioscor.* volunt esse, quod *Parkinsonus* nostras Tulipam esse contendit, utcunque non minus efficax in excitanda Venere creditur. *Erythronium Dens canis* LINN.

v. 147. Variæ sunt dissimillimæque Hyacinthorum species quarum nulla litterulis notisve signata est, sed neque Lilii formam habet, itaque nullo jure hoc nomen invaserunt. Columellæ, Vitruvio, Palladio Iris, cærulea Hyacynthus dicitur, quæ non minus ab illo Heroico poetarum differt; de quo magna inter criticos & inextricabilis contentio est. *Parkinsonus* Hyacinthum illum purpureum quem stellatum dicimus, Virgilianum Vaccinium putat esse.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0202
DFG

Nec tamen hæc ausa est hoc tempore poscere regnum,
Heu! ignominia nuper inusta gravi.
Nam quondam Oebalio cum se de sanguine cretum,
Et magni Ajacis diceret esse genus.
Res ea judicio Floræ commissa supremo
Nuper erat, causa sed cecidisse ferunt,
Quod sua non poterant insignia scripta probare
Litterulis mœstis flebilibusque notis;
Tu quoque qui græcis gallinæ filius albæ,
Ignoti titulum, candide, lactis habes,
Quamque parens florum miti lætissima cœlo
Bethlemiæ stellam terra britanna vocat,
Ambitione vacans omni, leucantheme bulbe,
Ut decet affinem, tu comitaris eos.

v. 157. Ornithogalum, Lac avis, vel gallinæ, an propter excellentiam & raritatem cum primo id nominis adeptum sit? quo sensu dicimus,

Rara avis in terris nigroque simillima cygno?

certe Plin. in præfatione sic ait, alii Κύρας Ἀμαλθείας, (libros inscripsere) ut vel lactis gallinacei sperare possis in volumine hausturn, super quo Dalecampius, Lac gallinaceum olim de summa fœlicitate usurpabatur. Strabo, lib. 14. Eos qui Sami fœcunditatem laudabant, ei proverbium accommodasse tradit quo ajunt, Φέρειν ὄρνιθαν γάλα. At nullus hoc bulbo vulgarior; an quod flos iste parvus, intus lacteus, foris viridis, albas quodammodo avium super foliis dejectiones (quæ quasi lac avium videntur) repræsentant? vocatur & alio nomine Bulbus leucanthemus, & ab Anglis honorificentissime, Bethlemiæ Stella propter stellarem floris figuram. *Ornithogalum umbellatum* LINN.

Sed neque te ſummæ tanto in certamine laudis,
Virium habere ſatis, belli modeſta, putas.
Militiæ quanquam pars tu firmiſſima vernæ,
Præcedis, comitas, ſubſequerisque ducem.
Quanquam conſolidæ nomen tibi jure tributum eſt
Et magno dignum principe munus habes.
Quanquam nulla facis, quanquam omnia vulnera curas,
O verum plantæ militis officium!
Hæc eadem guttis ſanicula ſparſa cruentis,
Et cotyledonis ſanguine ſparſus apex.
Hæc eadem rubro lunaria cærula caule.
Et gerani virtus hæmatoidis agit.
Hæ ceſſere tamen; flores plerumque feroces
Non ſua tam virtus, quam ſua forma facit.

v. 163. *Daiſie* gall. *Marguerite.* Officinis Conſolida minor appellatur propter vim aſtringendi curandorumque vulnerum eximiam. *Bellis perennis* LINN.

v. 171. Sanicula guttata dicta, propter plurimas minutiſſimas coloris ſanguinei guttas per florem minutum ſparſas. Angl. *Spotted Sanicle. Saxifraga umbroſa* LINN? Nec diſſimilibus guttis notata eſt cotyledon, ſed pauciori-bus, majoribusque, herba eſt ex Sedorum genere, angl. *Navel-wort; Cotyledon Umbilicus* LINN. Lunaria, *Moon-wort*, angl. aliquibus Soldanella montana dicitur, vel alpina propter ſimilitudinem folii cum Soldanella marina, i. e. *Sea Bindweed. Soldanella alpina* LINN. Geranium, angl. *Cranes-bill*, à γέρανος grus, quod in ſummis aliis quaſi gruum capitula ac roſtra ſpectantur. Multas habet ſpecies. Geranium tuberoſum, romanum, batrachoides, hæmatoides, propter ſanguineum floris colorem, & aſtringunt hæ quatuor herbæ, & egregiam vim habent in vulnerariis remediis, ſed & florum etiam gratia in hortos aliquando recipiuntur.

Cedit & ipse etiam gladii de nomine dictus,
(Quis putet hoc?) cedit, picta tulipa, tibi.
Tot cinctus gladiis, truculenti more tyranni,
Regni affectati suspicione caret.
Quantum immane aliis hic distat ab ensibus ensis,
In rabiem effingit quos fera flamma suam.
Huic tribuit natura parens armaria vere
Unguenta; hoc solo sistitur ense cruor.
Tu quoque cessisti, locuples, Aquileia, colorum,
Et lauta & centum conspicienda togis.

v. 177. Gladiolus, quod folium ad effigiem gladii formatum sit, qua de causa & græc. Ξιφιον appellant, & Μαχαιρώνιον. Angl. *Corn-flag*, quoniam crescat inter segetes, segetalis etiam lat. dictus. *Gladiolus communis* LINN. In pulverem redactus bulbus, & insperfus, sanguinem sistit, & vix uspiam planta est tantæ potestatis in emolliendis discutiendisque tumoribus & quam gladioli balbus foris impositus cum adipe porcino. Lauremb.

v. 185. Vel Aquilina, vel Aquilegia, angl. *Columbine*, quia florum calcaria recurva columbarum cervicem cum capite & rostro referunt, sicut latine ab aquila denominatur propter mucronem floris aduncum instar aquilini unguis. Fab. Columnæ Isopyrum est Dioscoridis Pothos Theophrasti, at Dalechampio Theop. Diosanthos. Dodonæo Leo herba vocatur, Gesnero Leontostomium; non alium existimantibus Ore leonis, a Columella dicto,

Narcissique comas & hiantis sæva leonis
Ora feri ——

Lib. 10. *Aquilegia vulgaris* LINN. Radix in Hispania estur post longa jejunia ad deturbandos renibus calculos. Park. ex Camerario, ex Clusio autem refert semen contra morbum regium atque omnes hepatis obstructiones utiliter fumi, immo & parturientibus facilem partum præstare.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0205
DFG

Obſeſſasque vias audax perrumpere, & hoſtes
Deiicere obſtantes, precipitesque dare.
Quodque magis mirum eſt, tam formidabile Nomen
Tam regale ſonans, ora leonis habens.
Nec tibi majores animos, Gaviana modeſta,
Tigridis in morem dat maculoſa cutis.
Cur non hoc proſit, maculas mutare vel auro,
Cum nollet Citrus luxurioſa ſuas.
Diſceſſere ſimul ferrugine tincta rubenti
Lilia, quæ fœlix Perſidos ora tulit.

v. 191. Fritillaria vulgo nominatur, errore ridiculo nomenclatoris qui putavit fritillum ſignificare fabulam illam luſoriam qua ſcacchorum in ludo utimur, quadratis areolis bicoloribus diſtinctam, alii Meleagridem appellant, quod ejusmodi maculis Meleagridis i. e. affricano-gallinæ, & plumæ & ova notentur, alii Narciſſum (videtur enim Narciſſorum eſſe ex genere Caperonium, à nomine, ut ferunt, inventoris. Alii Lilium variegatum. Nomen Gavianæ primus ei indidit Laurembergius, ab ovis Gaviarum punctis luridis eundem in morem variis. Gavia avis eſt aquatica, angl. puto dicitur, *Sea-gull*, eandemque ob cauſam belgas hunc florem appellare ait *Riviſtblomen*, i. e. Gaviæ florem. *Fritillaria Meleagris* LINN.

v. 193. Prodigioſa menſarum citrearum pretia vid. apud Plin. lib. 13. & menſarum inſaniam vocat, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt. Et, inter pauca nitidioris vitæ inſtrumenta hæc arbor eſt. Has menſas propter maculas & colorum diſcurſus varios, tigrinas & pantherinas ibidem vocat.

Accipe fœlices, atlantica munera, ſylvas;
Aurea qui dederit dona, minora dabit. Mart.

v. 195. Lilia perſica, non ita pridem è Perſia huc advecta à mercatoribus noſtratibus. Radicem habet coronæ imperiali ſimilem, ſed ſine graveolentia ſcapum minorem humiliaremque; à medio ad ſummum ſtant quidam ordi-

Lilia discessere simul, tollentia stellis
Spicatum exiguis lacteolisque caput.
Gemmantis gratos uvæ redolentia odores,
Pergratos hominum sensibus atque Deum.
Non viret in terris cerebro indulgentior herba,
Vim non immodici sobria nacta meri.
Hanc sequitur repens per humum, baculumq; requirens
Clematis infirmo non bene fulta genu.
Purpurei denso Ranunculus oris honore
Bellus it, à tergo gens numerosa subit.
Gens agris hortisque potens, lateque per hortos
Nobilitas, late plebs dominatur agris.
Bellus it Asphodelus, sed enim, me judice, radix
Non dedit Ascræo fercula lauta seni.

nes florum pendulorum instar Gavianæ sed vix tantæ magnitudinis, colore ferrugineo, etc. *Lilium pomponium* LINN.

v. 197. Lilium convallium dictum, nescio quamobrem, exiguorum alborumque foliorum spica constans. Putatur hac esse veterum Oenanthe, quam Theod. vitifloram vertit ab odore germinantis uvæ. Incertum hoc quidem, sed ponamus hic ita esse.

v. 203. Vinca pervinca. Angl. *Perwincle. or Ladies Bower*, sed plures ejus species sunt. *Vinca minor* LINN.

v. 205. *Crow-foot.* Angl. Ranunculum vocamus, quem Græci Batrachion, genera ejus quatuor —— nascitur in limitibus humidis & opacis, Plin. unde à ramis cognominatur; sed hodie multa ejus generis nota sunt, quædam certe bellissimo flore.

v. 209. Asphodil, *Bay Lilly.* Asphodelus manditur & semine tosto & bulbo, sed hoc in cinere tosto, deinde sale oleo addito, præterea tuso cum ficis, præcipua voluptate, ut videtur Hesiodo, traditur & ante portas villarum

Flos prope consequitur, sed multum dispare forma,
Nomine non humilis, pulcher Adoni, tuo.
Sed tua progenies Anemone fertur euntem
Risisse indignum nomine, Adoni, tuo.
Leucoion, quanquam totum vix deserat annum,
Curriculum faciens, solis ad instar, idem,

satum remedio esse contra veneficiorum noxam. Asphodeli mentionem & Homerus fecit, radix ejus napis modicis similis est, neque alia numerosior 80 sæpe acervatis bulbis. Theophrast. Et fere Græci, princepsque Pythagoras. Caulem ejus cubitalem & sæpe duum cubitorum, foliis porri-sylvestris, Antheoicon vocavere, radicem vero, i. e. Bulbos Asphodelon, nostri illos Albucum vocant, & caulem Hastulam regiam, etc. Plin. lib. 21. 17. Hesiod.

Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ

Plato, 3. de legibus Epimenidem viliſſimo cibo confecto ex Malva & Asphodelo contentum fuisse tradit. Dalech. Ἐδώδιμοι μὲν γὰρ ἑψόμενον βολβοὶ καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, ἀλλὰ καὶ ἡ τῆ Ἀσφοδέλῳ ῥίζα. Theophr. Quidam igitur veterum Ασφόδελον Sisarum putant esse, sed folia Asphodeli πράσῳ μεγάπῳ ὅμοια non autem Sisari; nostri quidem Asphodeli tuberibus porci vescuntur, sed hominum stomacho aversatur ac vomitum ciet, ergo aut Asphodelum poetico more pro quacunque radice ponit Hesiod. Aut delicatius Ascræ genus nascitur, aut plane nescimus quid sit illius Asphodelus. *Asphodelus luteus* LINN.

v. 212. Flos Adonis, eodem nomine & anglice vocatur, satis inepte. Flos est exiguus, ruber, sex foliis minutis conflatus, ex Anthemidis genere videtur esse; ridet hanc nominis arrogantiam Anemone quod ea ex ipso Adonidis sanguine nata dicatur. Anemonis hanc aggregant quidam tanquam infimam & simpliciſſimam earum speciem. *Adonis æstivalis* LINN.

v. 215. Angl. *Stock-Gilloflowers*, i. e. Caryophillus fruticans, ab odoris similitudine. Leucoion dicitur, quan-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0208
DFG

Officii plenum, & nullis non menſibus aptum;
(Sed tamen hic veris maluit eſſe comes.)
Egreditur campo ſimul, & cognomine eodem
Cingit odoratum lutea planta latus.
Proxima Caltha ſubit, pene omnibus illa calendis
Certa cliens menſis ſtet licet ante fores.
Calceolusque cavo belloque adapertus hiatu,
Calceolus dignus vel pede, Flora, tuo.

quam omnium fere colorum flos ſit, vel a canitie foliorum, non floris; ut putat B. Porta, vel fortaſſe quod omnes flores, cujuscunque coloris ſint, degenerent tandem in album, fere poſt triennium. Columella addit etiam iis epitheton candidi, admodum ſuperflue, ſed hoc tamen innuit & alios leucoion colores habere, cur autem candida Leucoja præcipue nominat, cum illa ſint vel ignobiliſſimum genus, vel degenerantia & quaſi valetudinaria Leucoia?

v. 219. Leucoia lutea, maceriis ac muris ædificiorum familiaria quanquam & in hortos quoque recepta, præcipue flore multiplici, unde angl. dicuntur *Wall-flowers*, quaſi flos murorum, vel parietaria officinis cheiri vocatur, unde fit oleum cheirinum, arabico, ut arbitror, vocabulo. *Cheiranthus Cheiri* LINN.

v. 221. Calendula noſtra (ſic dicta quod omnibus calendis, i. e. menſibus floreat, *Fior d'ogni meſe*, Ital. quod exacte verum eſt) caltha veterum putatur eſſe. Luteolam Virgil. vocat, Colum. ait.

Flaventia lumina Calthæ ——

Marigold angl. Calendula officinalis LINN.

v. 223. Helleborine dicitur, quod ſit Hellebori albi folio, flos calcei formam quodammodo repreſentat, unde calceolus mariæ vulgo indigetatur, angl. *Ladies-slipper*. Unde & coſmoſandalos exiſtimatur eſſe veterum, à ſandalis figura. *Cypripedium Calceolus* LINN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0209
DFG

Necnon Barba Capri, ſocors nimiique veterni
Dormitum medio quam juvat ire die.
Buphthalmosque oculi lato fulgore bovini,
Sive tuo potius, maxima Juno, micans.
Scorzoneraque flava, malis inimica novercis,
Ipſaque materno lacte benigna tumens.
Et cava non æſtum patiens non frigora radix.
Quæ caute poſt ver advenit, ante fugit.

v. 225. Barba Hirci Τραγοπώγων, angl. *Goats-Beard*, quod flos nondum explicatus barbæ hircinæ figuram imitatur, vel a pappo cano grandiori qui in ſummo vertice ejus naſcitur. Plin. comen etiam vocat. Quotidie circa meridiem flos occludit folia nec niſi mane poſtero explicat. *Tragopogon pratenſe* LINN.

v. 227. Angl. *Ox-eye*. Buphthalmos flore ſimilis boum oculis, folio fœniculi, circa oppida naſcens, fruticoſa caulibus, qui & manduntur decocti, quidam Cachlam vocant. Plin. lib. 25. 8. Dalech. Legit Calcham; fortaſſe non male Caltham legeremus, nam ex earum genere videtur eſſe, & colore & figura floris. Notum eſt bovinos oculos, i. e. magnos, Junoni attribui.

v. 229. Angl. *Vipers-graſs*. Scorzonera hiſpanice ſonat quaſi Viperaria herba non ita pridem inventa, contra venena laudatiſſima, lacteo humore abundans, flos luteus diluta flavedine, & non abſimilis Barbæ Hircinæ; Tragopog. *Scorzonera hiſpanica* LINN.

v. 231. Radix Cava, angl. *Hollow-root*, a re nomen habens, nam intus cava eſt, teſtamque refert. Herba eſt Delphinio flore ſimilis folio Aquilegiæ, tota veri mancipatur, reliquo anni tempore ſub terra latens. *Fumaria bulboſa* LINN.

Et tu Lunaris Viola, & Blattaria dulcis
Digna quidem titulo nobiliore frui.
Albaque cardammine & pulmonaria fusca,
Et quas mille alias longa referre mora est.
His etiam arborei fœtus, fruticesque nitentes,
Se jungunt comites non renuente Dea.
Queis dedit hortorum læto considere regno
Numen floripotens, & meruere locum.

v. 233. Variis nominibus nuncupatur Viola Lunaris, *Bolbonach*, (barbarico nomine) Viola latifolia, Viola peregrina, Lunaria græca, Lunaria major, Lunaria odorata, angl. *Sattin Flower*, *Honesty*, *Penny Flower*. *Lunaria annua* LINN.

Plin. lib. 25. 9. Est similis Verbasco herba, quæ sæpe fallit pro ea capta, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, hæc abjecta blattas in se contrahit, ideoque Romæ Blattariam vocant: atque idem scribit *Dioscor.* de Verbasco sylvestri; negat id *Parkinsonus* in nostratibus Blattariis observari; quæ tamen & anglicum à blattis nomen trahunt. *Moth Mullein*, quarum quæ lutea est, odorata est. *Verbascum Blattaria* LINN.

v. 235. Sisymbrii genus est, quod officinæ Nasturtium aquaticum vocant, *Water Cresses:* sed Cardamine flore pleno & Cardamine trifolia recipiuntur etiam in hortos. Angl. *Cuckow Flowers* (flos Cuculi) *Ladies Smocks*. *Cardamine pratensis* LINN.

Herba Buglossi folio sed promisso magis atque læviore, colore quoque dilutiore, albicantibus maculis notato, ad similitudinem pulmonis, unde nomen, & ad omnes pulmonis morbos utilissima existimatur. Quidam Symphytum maculosum vocant, i. e. *Spotted Comfrey*. Florem fert Paralysi vulgari similem, sed colore ferrugineo, unde & angl. dicitur *Cowslip of Jerusalem*, aliisque nominibus *Lungwort*, *Sage of Jerusalem*. *Pulmonaria officinalis* LINN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0211
DFG

Dulce Periclymenum, dulci Libanotis odore,
Dulcis & Hiſpano nata Geniſta ſolo.
Et ſyringa duplex, cultu formoſa decenti,
Albam ſive gerit cæruleamve togam.
Additur his Roſeæ Sambuci lacteus orbis,
Mille unus ſtellis conglomeratus honos.
Additur & Ceraſus, noſtrasque & Perſica Malus.
Quarum multiplici flore ſuperbit apex.
Queis natura tamen fructus prolemque negavit,
Et ſterili paſſa eſt luxuriare bono.
Sed, velut eunuchi, formæ decus atque coloris
Præmiolum raptæ fertilitatis habent.
His & mille aliis cedentibus æquore campi,
Turba petitorum ſola relicta manet.
Omnis erat tota comitatus gente ſuorum,
Omnis & in feſta veſte ſuperbus erat.
Procedit prima ante alias, quaſi Phoſphorus almi
Veris, & hos dulci dat Viola ore ſonos.

v. 245. *The Elder Roſe*, angl. *Or the Guelder Roſe*, quod in Gueldria frequens naſcatur; *Viburnum Opulus* LINN. flos quaſi pila quædam alba apparet ex innumeris minutiſſimis conglobata floſculis.

v. 247. *Ceraſus avium* LINN. fl. pleno. Fructum, niſi rariſſime, non ferunt, eumque non probabilem, itaque ad topiarias magis ſcenas, quam uſum pomarii adhibentur.

VIOLA.

VIOLA.

(*Viola odorata* LINN.)

Aureus portis aries ſuperne
Exit auratis quadriformis anni,
Verque formoſum radiante portat
(Plaudite) dorſo.
Verque dum procedit (Io! triumphe!)
Floreo procedit (Io!) triumpho,
Ferculum primum venio ſuperbæ
Nobile pompæ.
Ut decet veris ſobolem decori,
Maximam natu ſobolem decoram,
Purpura involvor, viridisque geſto
Inſignia regni.
Regio quamvis veneranda cultu,
Regios odi tumidosque faſtus,
Nec ſinum amplexumque humilis parentis
Impia ſperno.
Gaudet aſpectu Cytheræa noſtro
Sentiens anni reditum tepentis,
Nec magis certa eſt calidorum hirundo
Augur amorum.
Ergo naſcenti mihi multa raptim
Millia impingit Venus oſculorum,
Et ſacro labrum mihi purpuraſcens
Nectare tingit.

Hinc calix noſtri ſimul atque floris
Panditur blanda reſolutus aura,
Parva jucundos adaperta pixis
Fundit odores.
Dumque odoratum mea mulcet aura,
Dumque guſtatum ſapor ipſe ineſcat,
Dumque mirantes color & venuſtas
Palpat ocellos.
Utili lenocinio ſalubres
Corpori ſuccos ſimul adminiſtro
Blanda & ægroto medicina quondam
Digna Epicuro.
Fervidos hoſtes minimo tumultu
Exigo ſenſim ſine clade victrix
Corpus haud ſentit placide peracti
Vulnera belli.
Cedit, & ceſſiſſe rubeſcit herbæ
Ad coronamenta epulasque natæ,
Virium atque iræ nimium potentis
Conſcia febris.
Ponit ut ventus timideque muſſat,
Ipſe Neptunus ſimul atque lætum
Increpans ventos caput æſtuoſis
Extulit undis.
Quid mihi paucos numerare flores
Viribus magnis nimium furentes?
Quid mihi multos ſpecie decoros
Rebus ineptos?

Principem ſiquid deceat rogabis;
Omnis hoc mundus referet roganti,
Magna cum multa bene lenitate
Juncta poteſtas.

Dixit, & extemplo divini ſpiritus oris
Demulcet totum lætificatque locum,
Aura diu manſit, Violamque fuiſſe locutam,
Si non audiſſes verba, probaſſet odor.
Diſceſſit, ſubiitque locum, quæ proxima ſtabat,
Auricularum ingens nec numeranda cohors.
Tincta cohors Viola, coccis, & murice tincta,
Pallida, flava, rubens, candida, fuſca, cohors.
Quæque (genus duplex) conſanguinitate propinqua
Sed forma inferior, Primula Veris erat.
Auricula has ducit cunctas, cauſamque perorat
Lutea, quæ merito maxima dicta ſuo eſt.
Centena attollens quæ prodigialiter ora,
Centeno poterat (cum lubet) ore loqui.

v. 66. Primulam Veris a Paralyſi ita diſtinguit Parkinſonus, (nam ab aliis plerumque confunduntur nomina) quod illa non niſi unicum florem eodem caule attollat, hæc plures. Illam *Primroſe* angl. vocamus, hanc, *Cowslip*. Sunt igitur omnes Auriculæ Urſi, genus quoddam Paralyſis quod nomen Auricularum ſatis quidem ineptum, ſuo tempore obtinuiſſe teſtatur Mathiolus. Mirum ſane foret ſi hæc omnia genera Primularum, tam inſignia atque ubique ætate noſtra creſcentia, veteribus ignota omninr fuerint, vix minus certe mirandum eſt, vetus illarum nomen à criticis noſtris adhuc ignorari.

AURICULA URSI

(*Primula Auricula* LINN.)

Florum Diva potens ô radiantium,
Quid miſtum e variis floribus in ſinu
Geſtas faſciculum mollis eburneo?
Me, me multiplicem caule vel unico
Unam faſciculum Diva fer integrum,
Me turba capitum dulce micantium
Plusquam Geryonem, monſtrum & amabile:
Me ſidus radiis dulce ſalubribus
Multis compoſitum fer, Dea, ſtellulis.
In flores alius jus ſibi regium
Et ſummum titulum floſculus arroget,
Dicar vel populus floripotens ego.
Nec Natura mihi vana ſine omine
Lætorum tribuit tot capitum decus,
Humani capitis, principis omnium
Partis, nobilibus dedicor uſibus.
Mentis conſpicuam ſed fragilem Pharon,
Æternæ dominæ nec bene congruam
Virtus non patitur noſtra fatiſcere;
Cum nutat dubio pondere machina
Laxatis ſuperans vix retinaculis
Extinctoque fere lumine mobilis.

I, nunc, illepidum nomen & horridum
Ride, si lubet, ô, quod mihi inusserit
Sæcli barbaries sordida nuperi.
Nam verum & proprium gens veterum pio
(Rem sacram) occuluit cauta silentio,
In mentem tibi quid venit, ineptule.
Qui primus lepidos dicere floſculos
Fœdæ consimiles Auriculis feræ,
(O quisquis fueras) ausus es, impudens?
O, non Auriculis digne, sed auribus!
O amplis asini dignior auribus,
Quam judex cytharæ ridiculus Midas!

Talia cantanti (neque enim tam læta loquuntur
Germina, more hominum, sed sua verba canunt)
Succedis, Narcisse, puer (si credimus) olim,
(Perque sacram vatum credimus ista fidem)
Et ducis longumque genus, variosque propinquos,
Suffragatores, ambitiose, tuos.
Omnes pallor habet, vel fulgor luteus omnes,
(Pallore & luto corpora tingit amor)
Quanquam purpureos illis indulsit honores
Blandus adulator, munificusque Maro.

v. 44. Parkinsonus noster nullum agnoscit purpureum Narcissum, aliquem medio-purpureum appellat, qui calycem nempe habeat vel circulis vel punctis purpureis signatum. At Virg. eclog. 5.

Pro molli Viola, pro purpureo Narcisso.

Pro cunctis albo flos chalcedonicus ore
Narcissi soboles indubitata, canit.

NARCISSUS.

(*Narcissus poeticus* LINN.)

Olim quis fuerim puer.
Quam formæ nimio terribilis bono,
Quæ fataliter impotens
Et multis nocuit, nec domino minus.

Fortassis more suo quemvis pulchrum colorem, purpureum, quemvis florem Narcissum vocat, ut cum dicit

—— Manibus date Lilia plenis,

i. e. flores omnes, sicut Homerus Λειρια nomine genus omne florum complectitur, sed quid respondebimus Plinio? qui ait, Narcissi duo genera in usu medici recipiunt, unum purpureo flore, alterum herbaceum. An illum indigitare vult quem medio-purpureum vocat Parkins.? An illa ætate quidam fuerint toti purpurei? Annon denique (quod suspicor) romani aliam aliquam plantam præter croceum illum fabulosum ex Narcisso florem, Narcissum nuncupaverint? Cur enim ei peculiariter comam attribuerunt? Colum. Narcissique comam; Virg.

—— *Sera comantem*
Narcissum ——

& certe longe maxima pars Narcissorum verna, non sera est: cur illi etiam lacrymam, tanquam arbori aut frutici, glutinosam dederunt? Virg. 4. Georg.

—— *Pars circa septa domorum,*
Narcissi lacrymam & lentum de cortice gluten;
Prima favis ponunt fundamina ——

v. 45. Narcissus Chalcedonicus flore pleno albo polyanthos. Parkins. qui & pulcherrimus & suaveolentissimus est.

Cujus vana ab imagine
Flammas elicuit vel ſub aquis amor.
Notum ſtirpibus infimis
Jam notum anniculis ſtirpibus arbitror.
Et quas toſta caloribus
Urunt perpetuis Æthiopum ſola.
Et quas ripa Boryſthenis
Urit perpetuo languida frigore.
Ut quondam pueris puer
Sic flos emineo floribus omnibus,
Nec cauſam poteris dare,
Cur mi forma minus nunc placeat mea.
Demiſſum teneo caput,
Antiquum ſpeculum cernere geſtiens,
Da fontem mihi limpidum
Antiquis videas fervere amoribus,
A Nymphis & adhuc color,
Et noſtris decorant tempora floribus,
Me geſtant tepido ſinu,
An mallent puerum dicere, neſcio.

Gens Anemonarum tum ſe promovit, & illi
Arriſit placido lumine diva favens.
Nam neque ſplendidior, nec gens numeroſior ulla
Horticula eſt, dicam pace, Tulipa, tua.
Purpurea his dux eſt juvenis de ſanguine pulchri
Derivans certo ſtemmate pulchra genus.

Cuique Anemonarum (domus est quæ maxima gentis
Haud dubie primas dat Platyphylla domus.
Illa decenter hiat Zephyro spirante benigno,
Solvit & in tales ora venusta modos.

ANEMONE.

(*Anemones variæ Species* LINN.)

O omni requie mollior inquies,
Qui mundum exhilaras flamine fertili,
O ter digne Favoni,
Nostræ connubio Deæ.

v. 32. Vulgatissima Anemonarum divisio apud recentiores in latifolias atque tenuifolias.

v. 33. Flos nunquam se aperit nisi vento spirante, unde & nomen accepit. Plin. 21. 23. Fallitur ergo Ovidius, qui ita dictum putat, propter brevitatem floris, pauci enim sunt diuturniores,

— *Brevis est tamen usus in illis;*
Namque male hærentem, & nimia levitate caducum,
Excutiunt iidem qui perflant omnia venti.

Ovid. Lib. 10. Metam. Ubi fabulam vide. Ex Adonidis cruore natam Anemonem fabulantur & Ovidius, & Nicander, & plerique poëtarum. Bino solus ex illo Rosam asserit creatam, è lacrymis autem Veneris Anemonem.

Δάκρυον ἀ Παφίη τόσον ἐχχέει, ὅσσον Ἄδωνις,
Αἷμα χέει τάδε πάντα ποτὶ χθόνι γίγνεται ἀνθη.
Αἷμα Ῥόδον τίκτει, τάδε δάκρυα ταν Ἀνεμώναν.

Liceat mihi Anemonæ gratificari, atque ex utrisque ortam prædicare.

Inſpires Dominæ leniter auribus
Blando quo recreas omnia ſpiritu
Commendantia verba,
Et voto faveas meo.
Si ventus merito congenerem mihi
Non falſi titulum nominis addidit,
Si cum carcere ventus
Marcens Æolio jacet.
Confuſa, & ſimili vincta ſilentio
Ornatum capitis complico fulgidum, &
Caſu triſtis amici,
Florem incarcero lugubrem.
Si me ornat variis copia veſtibus,
Et læta innumeris pompa coloribus,
Si me regibus aptum,
Divum nobilitat genus.
Me flavi genuit ſanguis Adonidis,
Commiſtus roſeæ cum lacrymis Deæ,
Cum ſacri puer oris
Sylvæ gloria flebilis;
Apri fulmineo vulnere concidit;
Ut valde hiſtoricus Naſo probabilis,
Antiquarius ingens,
Non vana retulit fide.
Quot guttæ juveni purpureæ cadunt
Tot rorat lacrymis Diva nitentibus,
Formoſique cruenta
Æquant flumina rivuli.

Tanquam conjugio nexibus intimis
Se miſcent lacrymæ & ſanguis amantium,
Pulchrorumque parentum
Naſcor filia pulchrior.
Quas vires habeam forte requiritis?
Quas vires habeam? formam habeo bonam;
Pulchræ filia Divæ,
Pulchri filia Adonidis.

Proxima ſe multa cum majeſtate decoris
Et nimium faſtus imperialis habens,
Clara corona infert; nec vel divi vel jambi
Incedunt tragici nobiliore gradu.
Illa propinquorum nullo venit agmine cincta,
Illa ſibi fidens, agminis inſtar erat.
Erigitur, vultuque ipſa vel judice digno
Perſequitur numero jus graviore ſuum.

v. 47. Omnium florum auguſtiſſimus viſu; Laurembergius Archithyrſo nomen illi indit.

****

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0222
DFG

CORONA IMPERIALIS.

(*Fritillaria Imperialis* LINN.)

Magnum hic videtis, maximum, & acribus
Certamen actum seditionibus
Natura sed nostræ verendum
Imposuit diadema fronti.
O tot peracto verba negotio
Cunsumpta frustra! Quæ loca litibus
Natura si nostræ verendum
Imposuit diadema fronti?
Mi glorianti insignibus imperi,
Flori invidetis forte novitio,
Fraudique mi forsan futurum est,
Nomina non habuisse græca.
Plebeia forsan filia pauperum
Dicar parentum, quod traho originem
Nullis pudendam fabulosis
Aut pueris superum aut puellis,
Hujusce mundi non vetus incola,
Rexi per annos innumerabiles,
Et Bactra Susasque & beati
Floriferos orientis hortos.

v. 18. Ab oriente non ita pridem in nostras regiones venit, veteribus ignotus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0223
DFG

Bulbus me honeſtat maximus aureus,
Qualem videmus ſæpe manu globum
Regum timendorum teneri,
Orbis & imperium notare.
Et celſa thyrſum purpureum erigo
Regumque dignum ſceptrigera manu,
Te, Bacche, victorem decere,
Qui domitis potuiſſet Indis.
Florum corona cingor & aurea,
Interque flores turgidulæ micant,
Dulcique diſtentæ liquore,
Parvula ſidera, margaritæ.
Ornant coronam argentea ſtamina
Et ſtamina ornant; aureoli croci
Et circulum ſupra nitentem
Exeritur viridis capillus.
Quandoque florum tergemino ordine
Auguſta ſurgo; nec mihi ſat placet
Regalis ornatus ſupremæ
Pontifici lucupletis horti.

v. 21. Sæpe bilibris eſt.

v. 30. In intimis foliorum ſingulorum floreis ungulis enaſcuntur tubercula quædam candida, margaritis non abſimilia, liquore melleo plena.

v. 37. Archithyrſus triplici florum ordine Conſtantinopoli familiaris eſt, apud nos rariſſima.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0224
DFG

Invidit æther, me aſpiciens, humo;
Claramque ſtellis obtinuit novem
Minoidos pulchræ coronam,
Debet adhuc tamen invidere.

Talia voce tonat, graditurque Deamque ſalutat
Non humili geſtu, ſed quaſi Diva Deam.
Ah nimium fœlix, omnique ex parte beata,
Ni gravis ornatum dedecoraret odos.
Occupat locum dives ſine fine Tulipa,
Laſciva & nullo luxurioſa modo.
Quotquot habet mundus tot poſſidet una colores,
Callida miſturis ſe variare novis.
Non ſatis eſt auro coopertam ſtare coruſco,
Nec cocci aut conchæ purpura lauta ſatis.
Licia ſola juvant ſed multicoloria veſtis
Altalica pictæ, vel Babylonis acu.
Sola placere oculis cura eſt; & dicier horti
(Hoc juvat, hoc melli eſt) nomina ſumma ſui.
Sæpe aliqua ex illis proprii pertæſa coloris,
Nec contenta ſuis (ut fit ubique) bonis.
Neſcio quo, magno certe conamine, & ægre,
Ora ſibi mutat, nobiliusque micat.

v. 43. Ariadnes.

v. 59. Qui bulbus continuos aliquot annos vulgarem florem, flavum aut rubrum oſtentavit, is una forſitan æſtate pulcherrimi coloris floſculo exhilaraturus eſt colonum, ſed brevi & non durabili gaudio; nam cum planta ipſa bulbus totus ſequenti anno emoritur. Lauremb.

Medea veluti si cocta fuisset aheno,
(Medea herharum talia fecit ope)
Certa mori, sed læta tamen, neque enim illa recusat
Aut dubitat tali conditione mori.
Tantus amor laudis, tantique est gloria formæ!
Plus vita indecori mors celebrata juvat.
Pro reliquis causam nunc suscipit alba Tulipa,
Sive quod haud illa rarior ulla fuit.
Sive magistratum veteri quod more petenti
Conveniens semper candida visa toga est.

TULIPA.

(*Tulipa Gesneriana* LINN.)

In libris (memini) vatis Horatii,
(Nam vates legimus natio florea
Nos vates redamant, nullaque cernitur
Florum gens studiosior.)
Quidam se chlamydum dives opum domi
Possediſſe refert millia quinquies;
Ut magnum numerat millia quinquies;
Vestes bis totidem mihi.

v. 7. —— *Chlamydes Lucullus, ut aiunt,*
Si posset centum scenæ præbere rogatus.
Qui possum tot? ait, tamen & quæram, & quot habebo
Mittam ——
Post paulo scribit.
——— *sibi millia quinque*
Esse domi chlamydum partem, vel tolleret omnes.
Horat. l. 1. Epist. 6.

Quot terræ facies verna puerperæ
Quot fulget volucrum picta superbia,
Quot scite artificum dispositus manu
Gemmarum varius dies,
Quot vel lucis acus docta coloribus,
Intexit lepide stragula nubium,
Tot vestes mihi sunt, & sequitur decor
Me regalis in omnibus.
Me vestrum miseret, candida, Lilia,
Me vestrum miseret, purpureæ Rosæ,
Quas una atque eadem continuo facit
Vestis trita beatulas.
Tam frugi studiis conveniunt togæ,
Et quandoque gravem germina florida
Picto constituent horto academiam,
Vobis non deerit locus.
Ornet divitior copia principem,
Ornet lautities ambitiosior;
Regem pompa decet splendida; parcitas
Vectigal male sordidum est.
Hinc ver purpureum (veris an abnuat
Quisquam in judicio flos requiescere?)
Me totis retinet mensibus ad sui
Extremum imperii diem.
Atque his eximiis auget honoribus
Pars anni tenero chara cupidini,
Non tantum faciem propter amabilem,
Sed multo mihi plus amor.

Devinctus meritis interioribus;
Magnum nescio quid, præsto cupidini;
Magnum; sed taceo; quid taceam tamen?
Non nos tetrica natio
Flores, progenies nec sumus arboris
Lentæ, frigidulæ, putidulæ, gravis,
Morosо Cereris nobilis in sacro;
Sed nec tu Dea tetrica es.
Radix deliciis molliculis favet,
Radix nequitiis nostra procacibus,
Torpentes agitat lene medullulas
Blandis fæta caloribus.

Si

v. 38. Ante non ita multos annos cœperunt quoque bulbi illarum inferri culinis, & præparari in gulosum, neque ingratum ferculum, quo non solum creditur corpori laudabile alimentum adjungi, sed & stimulos addi exercitiis veneris, assantur bulbi sub cineribus, vel coquuntur in aqua, & apponuntur cum aceto, oleo, sale, pipere. Lauremb. Gerardus, & Parkinsonus, contendunt, &, ut arbitror, evincunt, Tulipam nostram non aliam esse Satyrio Dioscoridis, inter venereos bulbos olim famosissimo.

v. 42. Ἁγνὸς græce quasi Ἁγνὸς, i. e. purus, castus. Unde officinæ eam barbare Agnum Castum vocant, hoc est, arborem castam. Est ex salicum genere: Gaza Amerinam vertit. Rationem nominis reddit Galenus, quod castitatem conservet iis, quibus aut estur, aut bibitur, aut substernitur: Vitex latine dicitur; Plin. lib. 24. 9. Non multum à salice vitilium usu distat Vitex, foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset, Græci Lygon vocant, alii Agnon, quoniam matronæ Thesmophoriis Athenienſium castitatem custodientes, his foliis cubitus sibi sternunt. Θεσμοφόρος autem Ceres, Legiferam Cererem

Si cœnaſſet eam nocte nefaria
Infœlix juvenis regii adultera
Non invita die, nec nimium ferox
Vixiſſet, puto, poſtero.

Dixerat; erubuit paulum dea conſcia veri,
Nec tamen & riſum continuiſſe ferunt.
Iris ſubſequitur, cœleſtiaque ora reſolvit,
Iris odorato concomitata choro.

IRIS.

(*Iris florentina* LINN.)

Si forma imperium poteſt mereri,
(Flores forſitan inter & meretur)
En ora imperio creata florum,
Et cognomine pulchriora Gemma

appellat Virgil. Romanis Bonæ Deæ nomine innotuit, cujus caſtiſſimæ ſacra viris ne aſpicere quidem licuit. *Vitex Agnus Caſtus* LINN.

v. 49. Sexti Tarquinii.

v. 4. Quidam radicem chryſtalli eſſe dixerunt, vocatur ex argumento Iris; nam ſub tecto percuſſa, ſole ſpecies & colores arcus cœleſtis in proximos parietes ejaculatur, ſubinde mutans, magnaque varietate admirationem ſui augens. Plin. lib. 37. 9.

Et cognomine pulchriora Diva
Erecta ad ſuperos verenda fronte,
Et cœlum referente, ſed ſerenum.
Par eſt regia Numini poteſtas
Par cœlo facies decetque regem,
Nullus principe dignior potenti
Quam mollis titulus ſerenitatis,
Nec certe ſatis eſt mihi eſſe pulchræ,
Omnis livor abeſt malignitasque
Pulchros efficio, meoque ſucco
Purgatis nitor additur puellis.
Hic formoſa tenui virum & Deorum
Captis blandior innocens ocellis,
Nec naſum minus obligo beatam,
Auram nectaream undequaque fundens,
Nullam præpoſuiſſe fertur olim,
Ridenti mihi dulce, dulce olenti
Nec ſeplaſia delicata plantam,
Nec molli Sibaris ſoluta luxu
Cunctarumque potens amœnitatum.

v. 14. Succus radicis tollit maculas, impetigines &c.

v. 18. Quædam locum ipſum odoratiorem faciunt, ut Iris; quia & arborem totam, cujus radices attingit. Plin. lib. 21. 7. Et paulo poſt, Iris radice tantum commendatur, unguentis & medicinæ naſcens, & alibi eam dicit eſſe nobiliſſimi odoris. Hinc ex radice Iridis cœruleæ pulvis ille conficitur, vulgo Pulvis de Cypro dictus (angl. *Orris-powder*) qui capillis inſpergi ſolet.

v. 22. Forum Capuæ, ubi tot unguentarii negotiabantur, ut ſeplaſiarius abſolute pro unguentario acceptus ſit.

v. 23. Famoſiſſima deliciis olim urbs magnæ Græciæ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0230
DFG

Spirant (quis negat? ore blandienti
Divinos Violæ Roſæque odores,
Spirat Leucoion, Crocusque ſerus,
Et nunc nomen aromatis calentis
Flos quondam Jovis, obtinens, & omnis
Dives copia ſuaveolentis anni.
Sed (credo) mihi ſoli odora radix,
Formoſiſſima partibus ſupernis
Fragantiſſima partibus profundis,
Utrimque utilis atque utrimque flos ſum.
Inter delicias ſevera tantas
Morbos undique pello ſævientes,
Sic turmas trepidas agit virorum
Vultu Penthesilea virginali,
Sic Martem Veneremque Pallas una
Diverſiſſima Numina, æmulatur.
Non hac inferior ſuperba forma eſt,
Non illo inferior ſuperba virtus.
Me pictam fugit obſtinata bilis,

v. 27. Angl. *Stock gilloflower*, Crocus ſerus. Verus ille Crocus, qui medicinæ uſibus feritur, & autumno tantum floret, odoris ſuaviſſimi.

v. 28. Caryophyllus. *Gillo-flower* angl. quem quidam putant eſſe διὸς ἄνθος Theophr. ſed non nimis hoc certum eſt.

v. 43. Succus recenter expreſſus, partim ex radicibus ſolis, partim ex floribus etiam valide deturbat ex corpore aquam & bilem; adeoque celebre eſt hydragogon. Lauremb. Iris cui flos purpureus eſt, efficacior ea cui albus,

Me luxus comitem cupidinisque
Unguentis madidam fugit, mihique
Indignata velut leæna, cedit
Hoſtis fulva feroxque delicatæ.
Me vel plus lepore hinnuloque pernix
Vitat præcipitans aquoſus humor,
Audax diluvium minatus hydrops
Erumpensque vagus latente fonte,
Cum me corpore ſentit ingruentem,
Cedit corpore pæne naufraganti.
Ut Nilus refluitque ſubſidetque
Contactus radio potentis aſtri,
Hebræi (pia gens) licet Deorum
Heu ſacris aliena dicta noſtrum,
Gens vobis Solomone nota rege.
Promiſiſſe ferunt Jovem ſupremum
Cum merſum æquore recrearet orbem,
Nullo tempore velle ſe futuro,
Submerſum æquore perditum ire mundum,
Promiſſique ſui velut ſigillum
Æternum diaplomatis ſacrati
Impreſſiſſe polo Iridem decoram;
Iris nunc ego, nec minus venuſta
Nec forma minus efficax venuſta,
(Ipſam rem gero, cujus illa ſignum eſt)

dejectione, nonnunquam & vomitione aquam, præcipue citrinam ducit, deinde & craſſiorem pituitam, viſcerum obſtructionibus expediendis efficaciſſima. Fernel.

Parvo polliceor venuſta mundo,
Illum, me ſimul atque cernat intus;
Nulli diluvio obnoxium futurum.

Protenus in medio comitatus conjuge ſola
Pæonis ingenti flos ruber ore ſtetit,
Non ea de numero magnæ fiducia venit
Gentis; tota quidem gens erat una domus.
Nec dedit hos animos regalis copia veſtis,
Idem habitus cunctis & color unus erat,
Non tamen hæc frugi toga majeſtatis egebat,
Atque inerat conſtans cum gravitate decor,
Nam clarum floris late centuplicis orbem
Fulgentem ſaturo murice tollit ovans,
Aglaophotin eum titulo appellare ſuperbo
Non dubitant aliqui, nec meruiſſe nego.
Quin medicorum etiam diplomata publica juſſu
Fertur honorifice ſcripta tuliſſe Deæ.
Namque Deis Pæon medicus primarius olim,
Nomen apud medicos nobile ſervat adhuc:

v. 72. Vetuſtiſſima inventu Pæonia eſt, nomenque autoris retinet. Plin. lib. 25. 4. nempe à Pæone, cujus meminit Homerus, eamque Plutonem curaſſe dicit vulneratum ab Hercule. Vid. Iliad. 5. celeberrimus hujus plantæ uſus in omnibus epilepticis cephalicisque morbis, præcipue vero Pæoniæ maris, non fœminæ languidior virtus, appenſa collo radix (præcipue infantum) epilepſiam (quæ non ſit inveterata) curat, ſicut ipſe exprimento ſæpius cognovi. Parkinſ. atque hujus rei author eſt etiam Galenus.

His igitur, meritisque ſuis, quæ maxima, fretus,
Intrepido cauſam ſic agit ore ſuam.

PÆONIA.

(*Pæonia officinalis* LINN.)

Illuſa pictis ſi Tulipa virgulis
Et morionis in toga,
Gemmata vel proles Anemone Adonidis
Si præferatur nunc mihi,
Cedat tonantis ales, & regno excidat
Pavone victus aureo.
Cedat tyrannus ſaltuum, verus leo
Chamæleonti futili.
Vos in corollis geſtitent Nymphæ ſuis,
Nec me corollæ reſpuunt.
Eone nomine arrogaturam mihi
Me nunc coronam creditis?
Me regia virtus, inque rebus arduis
Fœlicis efficaciæ,
Victoriæque nobiles regem creant,
Non pictus armorum decor.
Sic, ſic furentem viribus morbum ſacris,
Sacroque nomine Herculis,
Humana clavæ corpora herculeæ modo
Ictuque ſternentem unico,

Depello capitis arce jactantem minas
Iraque ſpumantem improba.
Hinc ille ſucco præpotens Pæon meo,
Curaſſe forſan dicitur,
Plutona magno vulneratum ab Hercule,
Curavit hunc morbum ſcio.
Immite mortis Numen, & regem inferum
Fuiſſe Plutonem ferunt.
Hic ipſe mors eſt morbus; at furens, neque
Defuncta mors, ſed ſaucia.
Inepta ſim profecto ſi vires meas
Cum gente molli conferam,
Præfiſcineque dixerim, plantam mihi
Sol ipſe non videt parem.
Non iſta facio cognita plantis via,
Diviniori ſed modo,
Nec me neceſſe eſt corpus ingreſſam intimum
Hoſtem ferire cominus,
Non eſt opus vagina, ut enſem conditum
Virtutis internæ extraham,
Emiſſa longe namque odoris ipſius
Hoſtem ſagitta conficit.
Suſpenſa collo perduelles abditos
Vallisque munitos fugo,
Non ipſa vidi caſtra, non veni (quid hoc
O Cæſar?) & vici tamen.

Talia commemorans abit ille, modesta maritum
Prosequitur conjux ore rubente suum;
Ecce autem totum fragrantior aura repente
Exhilarare locum, splendidiorque dies.
Processere Rosæ; quas; turma triaria, magni
Scilicet hæc acies ultima veris erat,
Sylvestres aliquæ; sed & his non gratia nulla est;
Et virtus horto digna vel Hesperidum.
Hæc portentificum valet exarmare venenum,
Formidantis aquam quod vomit ira canis,
Hæc valet & lapidum duras in corpore venas,
Saxeaque obsessæ rumpere claustra viæ.
Nec, quanquam agrestis, fuerat cognatio talis
Dedecori, aut summis inficianda Rosis.
At stetit urbanæque tribus, turbæque togatæ
Quatuor attollens signa quaterna phalanx,
Quarum prima venit, proque omnibus una locuta est,
Puniceo spirans suaviter ore Rosa:
Gloria quæ quondam locupletis magna Damasci,
Dicitur Astartes sanguine nata Deæ.

v. 55. A. morsu canis rabiosi unicum remedium oraculo quodam nuper repertum radix sylvestris Rosæ quæ Cynorrhodos appellatur. lib. 8. 41. Historiam vide lib. 24. 2.

v. 57. Fructus lithontriptici, in quibus excellunt exempti arilli, spongiæ quoque calculosos efficaciſſime juvare dicuntur, & imprimis qui inibi continentur lapilli & vermiculi. Schræd.

v. 65. Veneris Syriæ. Quarta Venus Syria Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse tra-

ROSA.

(*Roſæ variæ ſpecies* LINN.)

Eſſe me quisquam dubitare poſſit
Sanguinem verum Veneris beatæ?
Ipſe germanum ſine fraude vultus
Pingit amorem.
Dulcis, & mollis, junenisque ſemper
Sic meus ridet, lacrymatque quondam
Mane vel frater; ſimilique nobis
Purpurat ore.
Frater alatus; foliorum & alas
Ipſa diſtendo; facibus relucet
Frater, ardentes apices & ipſa
Vertice tollo.
Quis meas neſcit, quis in orbe ſpinas?
Quis mei fratris, quis in orbe ſpinas
(Quas magis denſas gerit atque acutas)
Neſcit amoris?
Quicquid hoc mundo ſuperoque pulchrum eſt,
Optat & gaudet roſeum vocari,
Hæc puellarum prope ſumma laus eſt,
Summa Dearum.

ditum eſt. Cic. lib. 3. de nat. deor. Fabula autem ſic ſe habet. Roſam non niſi candidam primo extitiſſe, rubuiſſe demum, vulnerato Veneris pede, cum Adonidi opem latura, præcipiti curſu per dumeta raperetur.

Me colit princeps orientis alti
Memnonis mater, ſimilesque nobis
Vel ſibi tantum digitos habere
Ducit honori.
Cum dies porta bipatente cœli,
Prodit aurato nitidus triumpho,
Cærulam nimbis roſeis plateam
Molliter horæ.
Divites ſpargunt, ſuperas coronis
Undique exornant roſeis feneſtras,
Primus exorti videor diei
Ornatus & omen.
Cumque jam laudis ſatur æſtuoſæ
Se domum pompa recipit peracta
Limine occurro, reducique læto
Gratulor ore.
Elegans pulchri ſpeculator oris,
Arbiter formæ criticus cupido,
Intuens vultus vacuos roſarum
Vitat & odit.
Sic apis (quandoque meus, fatebor,
Melleæ frater ſimilis volucri eſt)
Præterit flores inopes odorum, ignobile vulgus.
Ipſa nimium niſi tincta plene
Spiritu vivo fuerint Roſarum
Ipſa, vix ſummis patienda labris,
Oſcula ſordent.

Quid quod & morbos fugo delicata,
Fficax virtute, modoque ſuavis?
Ipſa tormento reſoluta leni
Corpora purgo,
Phœbus ut nubes reſerans aquoſas
Solvit in rorem placide ſalubrem,
Non Jovis ritu, rapido exprimentis
Fulmine nimbos.
Quid mihi objectant breve tempus ævi?
Non ob hoc regina minus vocari
Debeo; hoc obſit mihi nuncupari
Si Dea vellem.
Arroget nomen ſuperis dicatum,
Nomen immortale Amaranthus audax
Arroget; nullum tamen ipſa novi
Neſtora florem.
Ah potens flores nimium propago,
Et videremur genus invidendum,
Longa ſi tanti, propria & decoris
Dona fuiſſent.
Quid querar noſtram doleamve ſortem?
Omnis humanæ miſere caduci
Gloriæ flores, fugiunt eodem
More modoque.
Fama ſed fortes vetat interire:
Et mihi abruptum properante Parca
Non fugax virtus, odor & ſuperſtes
Prorogat ævum.

Infimus vermis remanente vita
Mortuo fertur melior leone;
Ipsa viventes validosque flores
Mortua vinco.
Mortuam si me reputare fas est
Cujus insignem vel adhuc cadaver
(Corporis functi quasi vivus hæres)
Spirat odorem.
Torqueant ipsum mihi vel cadaver,
Torqueant sævi lacerata membra,
Exprimant omnem clibani calentis
Turbine succum.
Aridi blandum cineres olebunt;
Ut decet magnos sepelire reges,
Me meo natura parens odore
Funera condit.

Dixerat, ambrosiaque locum compleverat aura;
Gratia virginei mira ruboris erat.
Laudibus accessit, quod eam non sponte putares,
Nec temere laudes commemorasse suas.
Rivales tremuisse ferunt; nam diva favoris
Multa sui vultu signa loquente dedit.
Suffragatores steterunt post terga potentes,
Terna propinquarum congenerumque phalanx.
Lutea prima fuit, bello minus utilis illa,
Nullaque morborum capta trophæa ferens.

Alba ſecunda phalanx, & non ingloria factis,
Quæque oculis fidam ſæpe tuliſſet opem.
Tertia vexillo, bellatrix maxima, rubro,
Et non pacifero læta colore micat.
Immodico fluxu labefactos ſuſtinet artus,
Humorumque vagam ſiſtit ubique fugam.
Illa feros hoſtes ligat aſtringentibus armis,
Vincula dat victis, implicitosque tenet.
Subſidio illa ſolet cordi cerebroque venire,
Cum cor aut cerebrum vis inimica premit.
Illa docet ſpirantem ignes miteſcere febrim,
Paulatim & ſomno lumina victa dare.
Germinis auxilio talis demulſit Jaſon
Flammivomos tauros, ſuppoſuitque jugo.
Hac ope pervigilem didicit ſopire draconem;
Fallor, an ille draco nil niſi febris erat?
Talis rubra phalanx, quæ cum popularibus albis
Dicitur, heu, lites quondam habuiſſe graves.
Quid de lite loquor? longum & lacrymabile bellum,
Et certamen atrox inter utrasque fuit.
Nec miſer Æmathiæ bis inundans ſanguine campus,
Spectavit majus nobiliusque nefas.
Scilicet (ut mos eſt) regnandi dira libido,
Solennis tanti cauſa furoris erat.
Nam roſa non potuit per campos rubra Britannos,
Et roſa non potuit candida ferre parem,

v. 127. Roſa Candida inſigne erat regiæ familiæ ducum Eboracenſium, Rubra Lancaſtrienſium, inter quos per fæ-

Huic ager Eboraci, Lancaſtria fertilis illi
Ad bellum ingentes ſuppeditavit opes.
Quis furor, o, veſtras in vosmet vertere ſpinas,
O conſanguineæ, congeneresque Roſæ?
Non deſunt hoſtes vobis, non juſta triumphi
Materia, & nullo fama pudore rubens.
Gallica nam veſtro bis ſubdita Lilia regno
Per roſeos late nunc dominantur agros,
Vicinusque nimis nudum latus improbus haurit,
Carduus, & ſtimulos irrequietus agit.
Interea vobis per bella domeſtica ſceptrum,
Et petitur nimium grata corona Roſis
Ah nimium Veneris pulchræ de ſanguine cretis,
Ah nimium (video) Mars violente, places.
Nunc ego crediderim Martem de flore creatum,
Accepit tandem fabula mira fidem.
Mars totis violentus agris bacchatur, ut horto
Immiſſus nitido ſævit aduncus Aper,
Ille ruit frutices & ſepimenta decora,
Et laceram pando fulmine vexat humum,
Eruit ille Crocos, & purpureos Hyacinthos,
Atque epulas bulbi, lauta Tulipa, tui.

culum fere duravit bellum omnium longe crudeliſſimum, in quo plus ſanguinis Britannici quam in bis ſuperanda Gallia effuſum eſſe dicitur, in quo octuaginta principes regii ſanguinis occidiſſe feruntur. Certe duodecim fere annorum ſpacio duodecim magna prælia inter reges Henricum ſextum & Edvardum quartum commiſſa ſunt.

v. 138. Inſigne regni ſcotici.

v. 143. Vid. fab. 5. lib. faſtorum.

Egeſtos tumulos ſubverſaque germina fleres,
Et vaſtum informi ſtrage videre ſolum.

Quo me, Muſa, rapis? vel quo producis, ineptum?
Non hæc eſt numeris res tenuanda meis.
Dicam ego plantarum luſus rixasque jocoſas,
Par erit his forſan fiſtula noſtra modis.
Prælia plantarum & plusquam civilia bella,
Lucanus tragica perſonet ipſe tuba,
Vel Thebanorum cecinit qui funera fratrum,
Virgilio vates proximus ille, canat.

****

PLANTARUM.

LIBER QUARTUS.

FLORUM II.

Fœlix, quem misera procul ambitione remotum,
Parvus ager placide, parvus & hortus, alit.
Præbet ager quicquid frugi Natura requirit,
Hortus habet, quicquid luxuriosa petit,
Cætera sollicitæ speciosa incommoda vitæ,
Permittit stultis quærere, habere malis.

Talis erat magni memoratu digna Maronis
Corycii quondam vita beata Senis.

Talis

v. 7. *Namque sub Oebaliæ memini me turribus altis,*
Qua niger humectat flaventia culta Galesus
Corycium vidisse senem: cui pauca relicti
Jugera ruris erant ——
& paulo post.
Regum æquabat opes animis, etc. Virg. 4. Georg.
Ubi mallem per Corycium, Phocensem; quam cum Virgilianis interpretibus Cilicem intelligere, nempe ex Coryco,

Talis (crediderim) tam lætus & impiger hortis
Dives in exiguis Abdolominus erat,
Illum damnosas runcantem gnaviter herbas
Ecce ab Alexandro rege satelles adit,
Accipe Sidonii, vir magne, insignia regni,
Sceptrum, ait, & mitram, Sidoniamque togam:
Missus in imperium tantum (quis credat?) amatam
Dicitur invitus deseruisse casam.
Respicit ille gemens hortum; meliora relinquo.
Heu, ait, infœlix, deteriora sequor.
Talis erat generi humano vix nomine notus
Aglaus, in parvo diis bene notus agro.
Namque Gyges Lydas, regum ditissimus olim,
Impius & scelerum prosperitate tumens,
Ecquis, ait, toto, me fortunatior orbe est?
Hic Clarium est ausus voce rogare Deum.

vel Corycea Phocidis prope Parnassum, non ex Coryco, Ciliciæ monte, oriundum meminit ejus Stat. Theb. 7.

Vel qui Parnasson utrumque
Aut Cyrrham tauris Ænemoriamque supinant
Coryciumque nemus ——

v. 10. Historiam vide initio quarti libr. Q. Curtii.

v. 20. A Gyge rege tunc amplissimo terrarum consultum oraculum Apollinis respondit Aglaum Psophidiam esse fœliciorem. Senior hic in angustissimo Arcadiæ angulo parvum, sed annuis victibus large sufficiens prædium colebat, nunquam ex eo egressus, atque (ut e vitæ genere manifestum est) minima cupidine minimum in vita mali expertus. Plin. lib. 7. 46. Quam historiam fusius narrat Valerius Maximus. lib. 7. c. 1.

Numen adulari neſcit; fœlicior, inquit,
Aglaus; ille furens, Aglaus iſte quis eſt?
An ſit eo quisquam rex nomine quærit? at illo
Rex certe dictus nomine nullus erat.
An ſit eo quisquam dux belli nomine clarus,
Aut ſuperis tracta nobilitate potens?
Anne aliquis prædives opum nulloque periclo
Inter inexhauſtas luxurioſus opes?
Nullus erat talis generis ſplendore, vel armis,
Divitiisve potens; Aglaus iſte quis eſt?
At tandem Arcadiæ vix nota in valle repertus,
(Arcadas alta quies umbraque denſa tegit)
Strenuus exigui cultor prope Ptophida fundi
(Ptophida ſed tantum viderat ille ſemel)
Invidia regum digniſſimus ille repertus,
Teſte Deo fœlix, Aglaus ille fuit.
Talis, magne Deus (ſi te mihi dicere fas ſit
Ridiculorum inter nomina vana Deum)
Talis, vere Deus, nunc inclinantibus annis
Sit, precor, ætatis ſcena ſuprema meæ,
Finis inutilium mihi ſit precor illa laborum,
Jactatæ ſtatio firma ſit illa rati.
Sic mea cœleſtem præguſtet vita quietem;
Dormiat, & mortem diſcat amare ſuam.

v. 38. Arcadiæ civitas ab Ovidio, Statio, etc. memorata.

Ecce iterum abripior longe; quo Musa rapis me?
Otii laudatrix irrequieta sacri?
Pulchra via est (fateor) sed nostris devia cœptis,
Verte alio, inceptum perficiamus iter.
Nunc tibi dicendum est, per totum autumnus & æstas
Quot quantas acies explicuere locum.
Fulgentem juncto complerunt milite Campum,
Aut quia ver numero par vel utrisque fuit.
Aut quia fortassis non germina pauca fuerunt,
Militiam exercent quæ sub utroque, duces.
Pauca, precor, mihi Musa refer, neque enim omnia,
Filia Mnemosynæ sis, meminisse vales, (quanquam
Si poteris; densas fœcundæ æstatis aristas,
Autumnique uvas enumerare potes.

Principium Viola æstati, lætumque dat omen
Flammea, & æstivum concomitatur iter.
Et comes autumni; veluti Proserpina lucens
Anni dimidio, dimidioque latens.
Pulchrior illa quidem Viola cognomine verna
Ornatus generum possidet una trium.

v. 63. Viola tricolor. angl. *Hearts-ease. Pansy.* Theophr. Φλὸξ in flore triplicem colorem ostendit, candidum, luteum, cæruleum, videturque non potuisse decentiori vocabulo à Theophr. nominari quam flamma; cum in lucernæ sive lignorum flamma terni ejusmodi colores conspiciuntur, cæruleus in imo, luteus in medio, candidus in cacumine, ut & in Iride cœlesti. B. Porta. Maio floret, & ad finem usque autumni perdurat. Sed inodora est. *Viola tricolor* LINN.

Argentumque aurumque & purpura fulget in illa
O fœlix, ſimilis ni tibi deeſſet odor!

Heſperis & Violæ ſibi nomen amabile ſumit,
Rectius in titulos, heſpere, ſumpta tuos.
Omnes illa tibi referat, tibi fundit odores
Prodiga, quos toto claudit avara die.
Te plus ſole colit; nec te nova nupta ſalutat
Blandius, ut lucem ſentit abire gravem.

Anthemis exiguum ſed non ingloria florem
Vix levat; at vires parva gigantis habet.

v. 71. Flos Leucoio non abſimilis. angl. *Dames-Violets. Queens-Gilloflowers. Winter-Gillo-flowers.* Viola matronalis, vel Hyemalis, vel Damaſcena, vel Muſcatella quibusdam dicitur, non certum hanc eſſe Heſperim Theophr. Heſperis (inquit Plin. lib. 21. 7.) noctu magis olet, inde nomine invento. Qua in re certe cum veterum Heſperi hæc noſtra convenit. *Heſperis matronalis* LINN.

v. 78. Chamæmelon, propter odorem mali dictum. Leucanthemis — Anthemum Plinii lib. 26. 8. Videtur alia ab hac herba eſſe, quanquam & illud calculos ejicere dicat. Chamæmelon febres quæ citra viſceris alicujus inflammationem infeſtant, diſcutit diſſolvitque; ac præſertim quæ ex humoribus biliosis aut cutis denſitate proveniunt, qua de re & ab Ægyptiorum ſapientioribus ſoli conſecratum eſt, febriumque omnium putatur remedium, etc. Sennertus ex Galeno. Quidam etiam affirmant calculum ex humano corpore exemptum (ſit penes ipſos fides) & Chamæmelo obvolutum, brevi tempore diſſolutum iri, magno argumento illud validiſſime calculoſis opitulari. *Matricaria Chemomilla* LINN.

Illa ſpecum referat victrix, quo tumida Caci
Ignivomi febris condita more latet.
Illa fovet laſſos, labefactos erigit artus,
Egerituque dolor, diſcutituque tumor.
Calculus impulſu illius diſſolvitur acri,
Damnantis fati calculus ille malus,
Innatas cautes, & clauſtra potentius ictu
Fulminis aut auri, ſaxea rumpere amat.

Te Cyane infœlix vellem laudare, nec ipſe
Diffiteor vultus ſic meruiſſe tuos.
Sunt tibi formoſi vultus, cœlumque ſerenum
(Quam diſtans cœli moribus!) ore refers.
Ergo vetat laudare Ceres, Diva utilis orbi,
Agricolæque, ſacrum Diisque mihique genus,
Sunt tibi mendoſi mores, ſegetemque trucidas
Fertilis (ô monſtrum!) perfidus hoſpes agri,
Nec rubigo magis, nec belli ductor iniquus,
Nec mage frugiferæ ſus inimica deæ.
Quin etiam meſſori obſtas, falcemque retundis
Improbus, agricolis vita obituque nocens.

v. 88. *Blew-bottle.* angl. In nomine Cyani colos. Plin. lib. 21. 8. Quoniam à Cyano, gemma cærulei coloris, nomen habet, quam quidam Turchinam noſtram arbitrantur; quanquam ubique inter ſegetes naſcatur, eum tamen honorificentiſſime Plin. cum Viola, & Roſa & Amarantho recenſet. *Centaurea Cyanus* LINN.

v. 97. *Blaptiſecula* ruſticis dicta eſt, quoniam metendum falcem retundit.

Frons rudis eſt, miſtaque decens feritate Nigella,
Et Venus incompta eſt, horridulusque nitor.
Sylva impexa tibi viridis riget hiſpida barbæ,
Conſimilique virent cornua torta modo.
Eſt & cæruleæ vultus tibi concolor undæ,
Flumineus quali fingitur ore Deus.
Pictus in hoc habitu ſteteras Acheloe, priusquam
Herculea fuerant cornua fracta manu.
Non hoc de nihilo eſt; ornatu germana veſtit
Natura, officiis conveniente ſuis.
Tu toto educis latitantes corpore rivos,
Currite, dicis aquis; territa currit aqua.
Secretos regis anfractus, cæcosque canales,
Flumineum humano Numen in orbe tenes.

v. 100. Angl. *Fennel-flower*, quod Feniculi folio ſit, à Græcis Melanthia propter colorem ſeminis, quod ad multa utile eſſe dicitur, vid. Plin. lib. 20. 17. Gith, ex Græcis alii Melanthion, alii Metaſpermon vocant, optimum quam excitatiſſimi odoris & quam nigerrimum; & Gith, etſi barbarum videri poſſit, romanum vocabulum eſt, nec à Plin. tantum ſed & à Columella & à Plauto uſurpatum, ſi vere Calepinus legit in Rudente Plaut. Act. 5. ſc. ſecundæ, os calet tibi, num Gith frigefactus? Gall. *Pouzette* dicitur propter calorem ſeminis piperi non abſimilem. Ferocula floris figura eſt, (indeque ruſtici noſtrates eum appellant *Ruffling Robin*) extantibus barba cornibusque viridibus: Semen nempe id genus quod ſuave olet, catarrhos & humores aqueos potentiſſime exſiccare atque exhaurire dicitur. *Nigella damaſcena* LINN.

Quid, Speculum Veneris, tantum tibi ſumere nomen,
Tam plenum invidiæ quid tibi mentis erat?
Innumeris pingit veſtem tibi purpura clavis,
Nobilem habes, fateor, patriciamque togam.
Sed Speculum Veneris? tituli vix pondera tanti,
Sanguine nata Deæ, ſuſtinet ipſa Roſa.
Non tu tam lepidos titulos, Antirrhinon, ambis!
Te Caput hic Vitulæ nominat, ille Leæ.
Formidabilius te nominat Ora Draconis
Anglia; quæ tituli eſt iſta chimæra tui?
Gorgonas & Furias nocturnaque ſpectra fugare
Quid mirum ſi te territa credit anus?

v. 113. Nomen à Gerardo noſtrate impoſitum, traductum ex Belgico, *Venus Looking-glaſs*. ſed melius ante à noſtris appellabatur *Corn-Violet*. i. Viola ſegetalis, quod inter ſegetes creſcat, ab aliis varie nominatur Onobrychis, Viola arvenſis, Viola inodora, Viola pentagona, Campanula arvenſis. Flos minutus purpureus, ex unico folio Companularum more compactus, ſed pentagono; parvitatem floris ingens numerus ex eodem caule pullulantium compenſat, & bellum præbet ſpectaculum. *Campanula Speculum* LINN.

v. 119. Antirrhinon vocatur, ſive Anarrhinon, ſive Lichnis agria, ſimilis Lino, radice nulla, flore Hyacinthi, ſemine vituli narium & Plin. 25. 10. Nomen Antirrhini attribuitur huic plantæ, quanquam non omnimode conveniat cum deſcriptione Theophraſti aut Dioſcoridis; ab aliis vocatur Orontium, Canis Cerebrum, Os Leonis, Leo herba, angl. *Snap. dragon, Lyons-mouth, Calves ſnout.* Hoc perunctos venuſtiores fieri, nec ullo malo medicamento lædi poſſe, aut veneno, ſiquis in brachiali habeat, arbitrantur Magi, Plin. ibid. *Antirrhinum majus* LINN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0251
DFG

Quid tibi cassîde opus, male caute Napelle? timesne
Insidias capiti, flos scelerate, tuo?
Ah utinam tantum galeam tibi fata dedissent,
Impia in humanam tela dedere necem.
Quid tibi cassis opus? non bello invadis aperto,
Militiam peragunt cæca venena tuam.
Dii bene quod galeam contra galea altera surgit,
Quæ premit alta tuas, Anthora justa, comas.
Excipit hæc ictus, & vulnera vana retundit,
Cassîde sub tali prælia Pallas init.
Quis Deus has vires tantillas, quis tibi robur
Monstrosum heroa cum pietate dedit?
Tu bona Medeis tantum Medea, venenis,
Tot scelerum vindex, sacra venena ferens.

v. 125. Napellus verus flore cæruleo. *Blew-helmet flower*, (i. flos galeatus, à figura) vel *Monks-hood* angl. (i. Monachi cucullus) ex Aconitorum genere. Napellus venenorum præsentaneorum facile princeps, & planta adeo venenata est, ut non solum ii qui ejus succum hauserunt, raro vel nunquam evadant: sed & ii qui sagittis Napelli succo vulnerentur. Sennert. à radicis figura quæ Napum refert (nempe radicis longæ non rotundum) nomen obtinet. *Aconitum Napellus* LINN.

v. 132. Angl. *The wholsom helmet flower* (flos galeatus salubris.) *counter-poison*, *Monks-hood*. (Monachi cucullus, Antidotum) Aconitum salutiferum; Avicennæ Napellus Moysis dicitur. Anthora quasi Antithora, hoc est, Thoræ nempe Aconiti antidotus. Usus præcipui in morbis ac ictibus venenatis, pestilentiæ specifice adversatur, & peculiariter radices Thoræ. *Schræder. Aconitum Anthora* LINN.

Nec tibi devicti laus sola aut summa Napelli,
In nullo pateris germine inulta nefas.
Serpentes poterunt per te non esse nocentes,
Et non esse nocens Africa terra potest.
Secreti cum quicquid habent elementa veneni
Aer, & tellus, & gravis unda vomunt.
Inque homines miseros inspirant omnia mortem,
Et quo debet ali fomite, vita perit.
Cum possit natura venefica & ipsa videri,
Et pro matre bona facta noverca mala est.
Tum quoque lapsarum mundi misereſcere rerum,
Tum quoque victricem sistere es ausa luem.
O pulchrumque sacrumque herbæ fatique duellum!
Hoc hominum oppugnat, protegit illa genus.
Sume secundanam Galegam tibi, martia planta;
Virtuti flos est proximus ille tuæ.
Pulchra quidem es Lychnis, sed qua ratione vetustas
Te voluit græcæ nomen habere Rosæ.

v. 153. Secundani, secundæ legionis milites. Liv. Galega, Ruta Capraria, angl. *Goats-Rhue*. Galega Italicum nomen est teste Mathiolo, florem habet, vel potius spicam floream, albi vel cærulei coloris, contra omnia venena pestilentesque morbos laudatur. *Galega officinalis* LINN.

v. 155. Quæ græca (Rosa) appellatur à nostris, à græcis Lychnis, non nisi in humidis locis proveniens (nostrates autem Lychnides nulla loca recusant) nec unquam excedens quinque folia, violæ magnitudine, odore nullo. Plin. lib. 21. 4. λυχνὶς ϛεφανωμαλικὴ dicitur, vel à foliorum caulisque tomento, quo veteres fortasse pro ἐλλυχνίῳ utebantur, vel à colore lucido, vel quod noctu luceat:

Hoc græca dixere fide; mendacia græca
Cernere ubique licet; nam tibi nullus odor.
Tu tamen antiquis decus es ſolenne corollis,
Et ſtellant radiis tempora cincta tuis.
Illuſtrata tuis gaudent convivia Lychnis,
Et largo vini munere facta Roſa es.

Lychnida majorem & ſpecioſam lumine multo
Miſit cæcorum terræ vocata prius.
Candelabrum ingens variisque inſigne racemis,
Nec plures oculos Pavo ſuperbus habet.
Tale fere regum pendet laquearibus altis,
Auratoque aureas verberat igne trabes.
Altera divitibus menſis, altaribus iſta,
Atque epulis Divum digna Lucerna micat.

Si quibus in terris inſcripti nomina regum,
Naſcantur flores, me, Maro magne, rogas,
Neſcio; ſed certe non pauci nomina regum
Magna ferunt; neve eſt is mediocris honos.

Theodor. Gaza in verſione Theophr. Lucernulam vocat. angl. *Campion.* *Agroſtemma coronaria* LINN.

v. 163. Flos ſpecioſiſſimus, multarum Lychnidum umbellam portans. Angl. *Noneſuch, or Flower of Briſtow*, Chalcedonii autem cæci olim dicti, quod non ſedem potius in oppoſito littore elegiſſent, ubi poſtea Byzantium conditum eſt, multum commodiore loco. *Lychnis chalcedonica* LINN.

Lyſimachusque ornat, rex ornat Gentius hortum,
Hortus (Io) recipit nomina tanta libens.

Nec dedignatur te, Saponaria, nomen
Vile; ſed & bella eſt forma, & amænus odor;
Magna quoque eſt virtus; tibi cedit maximus hydrops,
Atque lues pulchræ filia fœda Deæ.
Inde miniſteriis victrix ſervilibus inſtas,
Splendeſcitque opera nigra culina tua.
Ipſe triumphatis dictator Quinctius æquis,
Ad ſua (nec puduit) talis aratra redit.
Direxitque manu ſtivas, & miſit eadem
Sub juga curva homines, ſub juga curva boves.

v. 175. Invenit & Lyſimachus herbam Lyſimachiam quæ ab eo nomen retinet, celebrata Eraſiſtrato, folia habet ſalicis, florem purpureum, fruticoſa, ramulis erectis, odore acri, gignitur in aquoſis, vis ejus tanta eſt ut jumentis diſcordantibus jugo impoſita aſperitatem cohibeat. Plin. lib. 25. 7. Unde quidam eam παρὰ λύειν τὴν μαχὴν dictam volunt, quo ſenſu angl. vocatur *Loos-ſtrife*, *or*, *Willow-herb*, propter folium ſalicis. *Lythrum ſalicaria* LINN.

v. 176. Angl. *Gentian*, *Felwort*, *Bitterwort*. Cujus diverſæ ſpecies multumque flore differentes. Gentianam invenit Gentius rex Illyriorum, ubique naſcentem, ſed illyrico, præſtantiſſimam, etc. *Gentiana lutea* & aliæ LINN.

v. 177. *Sopewort* angl. Inter gentianas numerat Parkinſonus propter ſimilitudinem folii. Nomen habet ab extergendi facultate qua ſaponis ritu pannos eluit purgatque, etiam lanas ac vaſa culinaria emundant ea ruſticæ. Flos, qui aliquibus plenus eſt, Jaſmini odorem æmulatur. *Saponaria officinalis* LINN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0255
DFG

Quid voluit cum tot flores natura creatrix
Campanæ formam juſſit habere cavam?
Quænam hæc ſunt tibi, Flora, oblectamenta jocoſa?
Ad quæ, neſcio quos, ludicra ſacra vocas?
Nullus in his uſus, nec tintinnabula nobis
Reddiderint ullos tam fabrefacta ſonos:
Auris tarda homini eſt; vertentis machina mundi
Non notos homini fundit ubique modos.
Pars aliqua e florum populis, hominumq; Deumq;
Guſtatum, tactum, naſum, oculosque juvat,
Quid ſenſum excipimus quintum, cum forſitan illi
Harmonici poterint auribus eſſe Deum.
O bene commiſto Convolvule fuſe metallo!
Ille corinthiaco pulchrior ære color.

Dum blandi in laudes ſolvuntur rauca Tracheli,
Guttura, tam leni quæ recreantur ope,

v. 188. Campanæ, vel campanulæ, angl. *Bell Flowers*, à figura floris, multæ ſunt earum ſpecies, ſed quæ præcipue & peculiariter ita nominantur (nam Convolvulus, Trachelium, etc. licet eadem forma ſint, habent propria ſibi nomina) Campanæ Perſicifoliæ, quæ vel albæ ſunt vel cæruleæ. (*Campanula perſicifolia* LINN.

v. 199. Convolvulus autem major cæruleus, multo largior campanula cærulea, angl. *Great blew Bell flower*, *Great blew Bindweed*, flos bellus, jucundiſſimi coloris. *Convolvulus cæruleus* LINN.

Alluditur ad campanas veras quæ ex ære conflantur, cujus genus laudatiſſimum Corinthium olim fuit.

v. 201. Trachelium dicitur à leniendis faucibus gutturibusque exaſperatis angl. *Throat-wort*, *or Canterbury-bells*,

Nomen adhuc majus tribuunt collegia Romæ
Coccina purpureæ, pontificumque togæ.

Ipsa tibi molles manicas Digitalis adaptat
Spinosas carpis cum Dea Flora Rosas.

Non nimium Pomo flos est formosus Amoris;
Lætior est fructus, floridulusque magis.
Hoc in amore novum est; plus tota messe reique
Possessæ fructu flos nitet ipse spei.
Quam nitidas Cancri nova mittit America chelas?
Talia sidereus brachia Cancer habet.

Pars eadem mundi Nasturtia lutea mittit,
Ille etiam in nostros flos venit hospes agros:

quorum omnium pulcherrimum Trachelium americanum flore ruberrimo, sive Flos Cardinalis; sic dictum vel à colore coccineo longe vividissimo, vel quod in cardinalis alicujus horto primum Europæ innotuerit. *Lobelia Cardinalis* LINN.

v. 205. Angl. *Fox-glove*, quod aliquantenus chirothecam repræsentet. *Digitalis purpurea* LINN.

v. 207. *Love-Apple.* Longo caule poma quædam portat (nam flos negligitur) magnitudine exigui mali sed gibbera colore mali Aurantiæ. *Solanum Lycopersicum* LINN.

v. 211. Flos coccineus, antequam explicetur Cancrorum chelas aliquatenus referens, explicatus Gladiolum. Angl. *The Indian flowry reed. Canna indica* LINN.?

v. 213. Nasturtium indicum. *Indian Cresses*, angl. (quod folia esitantur nasturtii modo, similique sapore acri prædita sunt) *Yellow Larks-heel*, i. e. Delphinium luteum, quod Delphinii more calcaneum vel calcar habet longum.

Ecce, eques auratus, de carcere ſtipitis arcto,
(Agnoſcens ſignum ſole tepente datum)
Proſilit, & fulvis florem calcaribus urget,
Et ſimili flavum ſuſpicit ore diem.
Tale ſolet Caſtor cum pervolat æquora cœli,
Spadici nitidum ſubdere calcar equo.
Credo aliquam pugnam fortis bellator inivit,
Aſpice ſanguineis corpora ſparſa notis:
Ah utinam hoc habitu viſus tibi, Naſo, fuiſſet,
Narraſſes lepidam gnaviter hiſtoriam.
Omnia dixiſſes; genus altum & fata ſuperbi
Floris, & illa rubens quid ſibi gutta velit,
At nos cuncta latent ſeros antiqua poetas,
Nec Deus exagitat, nec vetus ille furor.
Et tibi Regalis pulchrum dat gloria calcar
Conſolida, & flores magnus es inter eques.

Flos belliſſimus. Monardus, qui primus eam in Hiſpaniam tranſtulit, Florem Sanguineum nominat, quod tria inferiora floris folia ſanguineis punctis & quaſi guttulis notata ſunt. *Tropæolum majus* LINN.

v. 229. Flos πολυώνυμος, Conſolida Regalis, Calcaris Flos, Flos Regius, Buccinum Romanorum, ſed uſitatiſſime Delphinium. A quibusdam creditur eſſe veterum Hyacinthus fabuloſus. E quaternis conditionibus Hyacyntho attributis ab Ovidio, ſola forma Lilii obſtat, alioquin affirmarem audacter Conſolidam regalem, eam ſcilicet cui flos eſt purpureus, eſſe ipſummet Ovidii Hyacinthum, 1°. color illi purpureus, 2°. evidentiſſime & expreſſiſſime in flore hoc leguntur litteræ Ai, Ai. 3°. Eſt etiam primus inter verni temporis flores, ſed prohibet figura quæ nimis remota a Lilii effigie. Lauremb. Sed quid ſibi velit cum

Ornatum decuit belli atque insignia ferre,
Si verum Ajacis te genus esse probas,
Floris inarmati non est pater ille, negata
Qui voluit nimium fortis ob arma mori.
Parte quidem ex aliqua veteris titulos Hyacinthi
Te certum est vultu sustinuisse tuo.
Nam tibi adhuc remanent vestigia grata decoris
Oebalii, & vel adhuc te, puto, Phœbus amat,
Et tibi lugubris signavit syllaba frontem,
Heu index miseri vix dubitanda patris:
Quique invasit adhuc Hyacinthi alienus honores,
Victus jure, novos jam sibi quærit avos.
Nec tamen hic finis magnæ de nomine litis;
Sed tibi adhuc, Princeps Consolida, hæret aqua.
Plurima signa favent, sed &, heu, nonnulla repugnant,
Nam referunt formam Lilia nulla tuam,
Nescio Trojanis an te ver colligat hortis,
Hic comes æstatis tardior ire soles.
Et contendit adhuc tecum de nomine claro,
Martagon; & causam quo tueatur, habet.

Consol. regal. primum inter vernos flores vocet, non intelligo; est enim certe omnino æstivus, prope ad Autumnum usque durans. Angl. vocatur *Larks-heel* vel *Larks-spur*. *Delphinium Ajacis* LINN.

v. 241. Hyacintho enim nostro veteri omnes notæ desunt.

v. 250. Pro Martago sic argumentantur, esse ex genere Liliorum, esse inscriptum maculis quibusdam, quæ litteræ possunt appellari, eodem certe jure quo Plinius in Faba litteras lugubres inveniri ait ex sententia M. Varronis.

Nec Laertiaden Ajacemque inter, Achillis
De ſacris armis lis prope tanta fuit.
Quantam Conſolida exercent, & Martagon ingens,
Ob titulos Ajax, relliquiasque tuas.

Sanguine neſcio quo creta eſt & Fraxinus herba,
Hectoris ingentis forſitan ille fuit:
Purpurea aſſurgunt tibi fila, cutimque rubellam
Percurrit ſaturo vena cruore rubens:
Tu tres metropoles humani corporis, armis
Propugnas, uterum, cor, cerebrumque, tuis.
Arſuras tandem defendis fortiter urbes
Interea, & differs qua potes usque rogum.
Fata obſtant, obſtat Deus imperioſus, habetque
Hectora nequicquam Troja caduca ſuum.
Neſcio quas vires habeas, Cretæ incola, Thlaſpi,
Magnas credo, Jovis tu popularis habes.

Unde diſtinctionis gratia hunc Hyacinthum inſcriptum appellant, καὶ ἀ γραπὶα ὑάκινθος. Theocr. Sed & ille epitheton ferruginei, atque purpurei, ſatis convenit ſi morem poetarum ſpectamus, qui nunquam fere de coloribus exacte loquuntur. At vero tandem non eſt vernus hic flos; quid dicam? hæret aqua mihi, & aſſenſum ſuſtineo.

v. 255. Fraxinella, quod ſit folio fraxini. Angl. *Baſtard Dittany.* Flos quinquefolius, rubellus, ſed ſingula folia ſaturatiore & ſanguineo rubore virgata, e quorum medio ſtamina purpurea dependent. *Dictamnus Fraxinella* LINN.

v. 265. Thlaſpi ſeu Thlaſpe; cujus multa ſunt genera diverſiſſimæ figuræ; hoc genus quod in hortos recipitur, dicitur angl. *Candy Tufts. Iberis umbellata* LINN.

Quæ

Quæ te dextra legit lepra, Scabioſa, decenti
Contactu o fiat ſic ſcabioſa tuo.

Igne ſalutari Pyrethrum calet acre, moleſtas
Exhaurit torto dente potenter aquas,
Pars imi rubra eſt, ſummi pars candida floris,
Gingivam & dentem, natus utrisque, refert.

Tu porcis alimenta ſoles Cyclamine decora,
Sed medicinam homini, ſed dare ſerta Deis.

Non Muri abſimilis, Muri cognominis herba,
Gaudet in obſcuris cauta habitare locis.
Umbram amat; adverſus Phœbeia ſpicula, plantam
Aurata umbella protegit ipſa ſuam.
Tota riget ſetis, ſed & eſt holoſerica ſeta,
Nec teneram offendit virginis illa manum.

v, 267. Angl. *Scabious*, vel quod ſcabiei medetur, vel quod alba quaſi farina quædam ſcabiei non abſimilis, ſummis floribus adhæret quaſi aſperſa. Ψωρα Aetii. *Scabioſa arvenſis* LINN. ?

v. 269. Unde & ſalivaris dicitur, quod ſalivam moveat ore recepta. Angl. *Pellitory of Spain. Anthemis Pyrethrum* LINN.

v. 273. Flos Cyclamini coloſſinus in coronas admittitur. Plin. lib. 21. 9. Coloſſinus, purpureus, à Coloſſis urbe Troadis. *Cyclamen europæum* LINN.

v. 275. Piloſella, quod tota piloſa ſit. Μυοσωτις. Angl. *Monſear. Hieracium Piloſella* LINN.

Innumeris horret, ſed multum innoxia, telis,
Telorumque pia vulnera ſanat ope.

Parvus aromatici ſpeciem vultumque decorum
Armerius dicti de Jove floris habet.
Majeſtas prope ſola deeſt divina puſilla,
(Crediderim) infantis flos fuit iſte Jovis.
At juncti florem multi ſociantur in unum,
Qui vel barbato ſic Jove dignus erit.

Te quidam Armerium, muſcaria planta, vocarunt,
Te cui muſca levis, præda jocoſa placet.
Impendis ſuccos in retia denſa, tuosque
Gnaviter exudas inſidioſa dolos.

Sunt triplices rami, ramo ramuſculus omni
Tergeminus, foliis tergeminisque datur.
Tergemini ſimul & flores Epimedion ornant,
Quicquid id eſt, aliquid res habet iſta ſacri.

v. 284. Angl. *Sweet John*, *Sweet William*. Caryophyllis figura ſimilis, ſed ſinguli flores admodum parvi. *Dianthus barbatus* vel *Armerius* LINN.

v. 289. Muſcipula Lobelii. *Lobels Catch-fly*. Ben rubrum monſpelienſium. Inter Lychnides recenſet Parkinſ. caule & foliis ita viſcoſis ut irretire muſcas poſſit. *Lychnis Viſcaria* vel *armeria* LINN.

v. 295. Epimedium Dioſcor. & ſemine & flore caret. Huic ſpiſſandi refrigerandique natura, fœminis cavenda. Plin. 27. 9. Non eſt igitur Epimedium noſtrum idem quod veterum; quamquam in illa poteſtate convenire cum illo

Tu quoque parva nites, neque enim tibi, Ptarmica, parvæ
Candida multiplicis gloria floris abeſt,
Utque movere ſoles ſternutamenta, ſalubre
Sic, puto, naſcenti ſternuit omen amor.

At tibi formoſi formoſior accola mellæ
Aurea purpureis frons redimita comis.

credatur, quod ſterilitatis cauſa ſit, unde angl. nominatur *Barren-wort*. *Epimedium alpinum* LINN.

v. 297. Ptarmica flore pleno quod Πταρμὸν, i. e. ſternutamentum provocet. Angl. *Double Pelletory*, florem Parthenio ſimilem gerit. *Achillea Ptarmica* LINN.

Amor ſiniſtra ut ante dextram ſternuit approbationem. Nunc ab auſpicio bono profecti, etc. Catul.

Num tibi naſcenti primis, mea vita, diebus,
Aridus argutum ſternuit omen amor?

Propert.

v. 301. *Eſt etiam flos in pratis cui nomen Amello,*
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba,
Namque imo ingentem tollit de vertice ſylvam,
Aureus ipſe, ſed in foliis quæ plurima circum
Funduntur, Violæ ſublucet purpura nigræ,
Sæpe Deum nexis ornatæ torquibus aræ
Aſper in ore ſapor, tonſis in vallibus illum
Paſtores, & curva legunt prope flumina Mellæ;
Hujus odorato radices incoque Baccho.
Pabulaque in foribus plenis appone caniſtris.

Virg. Georg. 4.

Mella nobilis eſt in Gallia fluvius, aliique cognomines alibi; poetæ tamen notior Mela italus quem ſiniſtra ripa receptum Ollius fl. in Padum defert, videturque hinc nomen inditum flori Amello, Farnab. Idem flos eſt atque Aſter atticus antiquorum, qui & inguinalis & Bubonium dicitur, angl. *Star-wort*. *Aſter Amellus* LINN.

Nec pudeat prati, prato collecta virenti
Ruſtica placavit ſæpe corolla Deos.
Tu pia melliferæ præbes alimenta volucri,
Cum tibi vix tellus præbeat ipſa parens.
Das hyemale penus, das anni tempore duro,
Atque æſtate illi flos ſemel eſſe parum eſt.
Officio floris radix tibi fungitur ipſa,
Mellaque languenti ſera miniſtrat api.
Eſt monſtrum viſu fœdum, nec mole timendum,
Sed multum ingenio, viribus, arte potens.
Octo pedes, totidem crurum internodia terna,
Quæque importuna mobilitate vigent.
Et pro corpore habet ventrem, deforme, rotundum
Ventre venena tument, retia ventre latent.
Retia quæ tendit culici muſcæque vaganti,
Dulciaque ex rapto fercula latro vorat,
Hoc ſatis eſt tibi, Arachne, urbes ac tecta colenti
Civilisque tibi eſt legitimusque furor.
At ſævit majori agreſte Phalangion ira,
Et minimo ingentes conficit ore feras.

v. 321. Phalangium eſt Italiæ ignotum, plurimorum generum etc. Plin. lib. 29. 4. Ubi genera nominantur; namque omnis Araneus venenatus Phalangium dicitur. quod internodia terna in cruribus habeat (quanquam id cum innoxiis araneis commune) Φάλαγξ enim proprie digitorum internodium eſt. Cum Italiæ ignotum eſſe dicit, Magnam Græciam ſub Italiæ nomine non comprehendit; nam in Apulia familiaris eſt famoſiſſima illa ex Phalangiorum genere Tarantula, a Tarento urbe dicta. Hæc autem herba Phalangites, vel Phalangium appellatur, Απὸ

Dico, feras? dentis non aſpectabilis ictu
Mentem homini primam, mox animamque rapit.
Tale, Phalangita, & tam formidabile monſtrum
Conficis, & meriti præmia nomen habes.
Sic cum Scipiadæ ceſſit pars tertia mundi,
Diripuit victæ miles avarus opes.
Dux habuit ſpolium belli ſibi majus, & hoſtis
Cognomen domiti præda ſuperba fuit.

Producis lepidos, opulenta Peruvia flores,
Mirandi noſtro germinis orbe parens.
Ne tibi tam placeas auri argentique metallis,
Quæ male fœcundo gignis ubique ſolo.
Ut tantas admirer opes laudemque, requiris?
Terra venenorum non magis ulla ferax.
Alba quatit rubro ſua tintinnabula caule,
Nativum hic etiam monſtrat Jucca decus.

τὰ τοῖς Φαλαγγιοδήκτοις ἐοικότα. Eademque notione angl. dicitur, *Spider-wort*.

v. 330. Cognomen africani.

v. 331. Angl. *The Mervail of Peru*, or, *of the World*. Glorioſiſſimo nomine, & ultra meritum tumido. Flos parvus eſt ex campanularum genere, ſed numeroſiſſimus ſuper eodem caule, luteus, purpureus, albus, verſicolor; quod maxime eſt in eo mirandum. Ad ſolem ſe claudit, veſperi aperit, convolvuli purpurei more. *Mirabilis Jalappa* LINN.

v. 338. Eam ſic deſcribit Ferrarius. Toroſus thyrſus, Aſparagi ſive Haſtulæ regiæ modo emicat in trium quandoque cubitorum lævem & ſanguineo colore ſplendentem virgam, quæ diffuſis palmaribus ramulis turbinatim arbe-

Semina sed nostris non profert exul in oris;
Pulchra sibi est, patriæ fertilis illa suæ.

Malva levat caput hortensis, pene æmula gentis
Arboreæ, & multa stat redimita Rosa,
Diceret hanc aliquis cernens, planta ista superba est;
Tam pulchro nimius corpore fastus inest.
Mitior at nulla est, nulla est humanior herba,
Nulla magis suavi commoditate bona est,
Omnia tam placide referat, blandeque relaxat,
Emollitque vias, nec sinit esse rudes.

Africa dat multo saturatas lumine Calthas;
Vicini agnoscas nobile Solis opus.

rescens, Fritillarias citra quadratas maculas imitantia flores tintinnabula, obsoleto candore pallida, levique nonnunquam rubore interfusa, inodora, deorsum versum spectantia raris intervallis numerosa suspendit, eadem tandem sine semine arida sibi posterisque moriuntur. Nempe nostris in regionibus sed in America fœcunda est Jucca: Nomen illud indidit Gerardus nostras, arbitratus veram esse Iuccam Americanam, ex cujus radice panis ibi conficitur, Cassavi nominatus, sed fallebatur. *Yucca gloriosa* LINN.

v. 341. Angl. *Holibock*. Ex Malvarum genere, quarum virtutibus emolliendi, leniendi, laxandi prædita est. Malva arborea quibusdam dicitur, sed non recte; est enim alia præter hanc vera arbor Malva, sempervirens. *Alcea rosea* LINN.

v. 349. Angl. *Africans*, & vulgo sed male nominantur, *French-Marigolds*. Flos Africanus, Flos Tunidensis, Caltha Africana dicitur. Genus autem unum eorum, Flos Africanus fistuloso flore, semina omnibus inusitatæ formæ, longæ, planeque sagittam referentis, sicut & folliculus quo

Latus multiplexque ardenti fulgidus auro
Orbis, adoratas blande imitatur opes.
Quædam tota cava eſt; poterat folium omne videri,
Aurata artifici fiſtula facta manu,
Ah utinam bonus his animam inſpiraſſet Apollo,
Fiſtula quam miros ederet illa ſonos!
Nec brevis huic flori vita eſt; maturior ævi
Exacto moritur non niſi menſe ſenex.
Tam longa indulgent huic ſoli ſæcula parcæ,
Invitaque ſecant ſtamina pulchra manu.
Capſula vulgaris non eſt qua ſemina condit,
Sed pharetræ formam picta ſonantis habet.
Illa quidem pulchris pharetra eſt onerata ſagittis,
Illa humero flores, molliter apta ſedet.
Venatu indulgens papilionis in horto
Perſequitur trepidam læta premitque fugam,
Ille laboratas radiis ſolaribus alas
Huc temere atque illuc, heu, ſine mente quatit.
Qui niſi ſic fugeret flos poſſit & ipſe videri,
Et picto attonitam falleret ore Deam.
Nunc miſerande jaces confixus cuſpide floris,
Tactaque vix ſentit terra cadentis onus.

Talem regna ferunt quondam fœlicia Caltham,
Punica; Junonis tunc Roſa dicta fuit

conduntur, pharetram repræſentat, unde locus non abſurdus fortaſſe datur fabulæ inſequenti: Flore cum his telis papiliones inſectantis venatu. *Tagetes patula & erecta* LINN.

Quo ſteterat Carthago ingens, hæc gloria clari
Unica, vel certe ſumma relicta ſoli eſt.
O florum ſpes fallaces & inania vota!
Irrita in æquoreas quæ rapit auſter aquas!
Olim hæc ſperavit reducis decorare triumphum,
Hannibalisque ipſas cingere forte comas.
Aurea ſperavit Carthaginis eſſe corona
Victricis, mundi cum foret illa caput.
Non dubitaſſet eo ſibi tempore poſcere regnum,
Flora licet Latiæ tunc dea gentis erat,
Nunc illi miſeræ, cum patria ſerviat ipſa,
Vivere privata conditione ſat eſt.

Ciſte, decus parvi fruticis, tam flore puſillo,
Quid ſimulare Roſas, ambitioſe, juvat?
Neve parum id facias, moreris qua naſceris hora,
Cumque die exoriens occidis ante diem.
Ah vide ne nimio conſtet tibi gloria tanta,
O plusquam ſatis eſt! Ciſte, imitate Roſas.

Lada, ſoror Ciſti, ne cedat honore roſetis,
Exudat foliis balſama odora ſuis.

v. 387. Græci Ciſton appellant fruticem majorem Thymo, foliis Ocymi, duo ejus genera, flos maſculo roſacens, fœminæ albus. Plin. lib. 24. 10. Roſago quibusdam dicitur, quod ſit flore ſimplicis Roſæ, ſed inodora, & paucis horis marceſcens. Angl. *Holly Roſe*, *Sage Roſe*.

v. 393. Congenera huic Lada eſt, ſed altior fruticoſiorque. Ciſtus Ledon, quibusdam. Angl. *Gum-Ciſtus*,

Balsama, quæ fœdo Caper improbus appetit ore,
Et barbæ obscœnæ pinguis adhæret odor.
Non scelus hoc homines tibi sic patiuntur abire,
Unguentata Caper, sed tibi barba cadit.
Curat alopecias hac Ladanon arte repertum;
Quid dicam? has vires planta dat, anne Caper?

Objicienda tibi, Jasme unguentaria non est,
Hic solus flori quæstus honestus erat.
At frangenda volunt alabastra, unguentaque luxus
Condemnant tetrici, putida turba, senes.
Non (licet iratus) tam Jupiter ipse severus,
Mitigat iratum dulcis acerra Jovem.
Dulcis odor placat superos; opus ille Deorum
Luxuriæ, humanæ sed pietatis agit.

or Sweet-Cistus. Ladanon vel Ledanon exsudans. Arabia etiamnum Ladano gloriatur. Forte casuque hoc & injuria fieri odoris plures tradidere, capras maleficum alias frondibus animal, odoratorum vero fruticum appetentius, tanquam intelligant pretia, carpere germinum caulis prædulci liquore turgentis, distillantemque ab his casus mistura succum improbe barbarum villo abstergere, hunc glomerari pulvere, incoqui sole, & ideo in Ladano caprarum pilos esse. Plin. lib. 12. ib. Ubi vide plura. Hoc Ladanon multi usus est, inter cætera vino coctum alopecias curare dicitur. *Cistus Ladanum* LINN.

v. 401. Angl. *Jasmine*, *or Jessemin.* Jasminum aliquibus dicitur: originem græcam subolet quasi Viola odorata, quanquam græcis Jasme incognita. Frutex nobilissimus inter topiarios, apibus flos gratissimus, ex quo unguentum conficitur omnium suavissimum. *Jasminum officinale* LINN.

Vendicat Auratam Malum Dea noſtra, legitque
Flores; & toto condit avara ſinu.
Vendicat & Pomona ſibi; legit aurea mala,
Atque onerat calathos inſatiata ſuos
Lis gravis eſt, nec lite abſunt convicia tanta,
Nec deeſt iratis lingua proterva Deis.
Et Pomona furens, pomorum ſi tibi clamat
Tantus amor, pomum tu tibi amoris habe.
Convenit hic titulus; ſed &, o, aliena placere
Quid mirum eſt factæ de meretrice Deæ.
Flora incenſa refert, Vertumnum novimus & te;
Novimus & qua tu ſub nuce facta Dea es.
Dum ſimulabat anum, tu virgo pudica manebas.
Cum juvenili aderat corpore, tum quid eras?
Sorba manu lutea, & dotalia Meſpila fortis
Stringe, maritales collige, caſta, Nuces.
Tam bene olens (inquit) tam pulchrum & amabile
Flos eſt; & carpens aſſerit ipſa manu. (Pomum
Quædam etiam nomenque decusque legumina florum,
Nec probro eſt illis ruſticus ortus, habent,
Nec Lathyrum hortenſis, nec Piſum reſpuit aula,
Coccineamque videt pæne ſuperba Fabam.

v. 409. *Citrus Aurantium* LINN.

v. 420. Vid. Fabulam 14° libro metamorph.

v. 429. Lathyrus annuus ſiliquis Orobi, angl. *Party-coloured Chicklins*: lathyrus latifolius, idem eſt quod Piſum perenne *Everlaſting-Peaſe* ſed & aliud Piſum, quadratum dictum, flore coccineo in hortos recipitur. *Lathyri variæ ſpecies* LINN.

v. 430. Angl. *Scarlet Bean*. Nam fabam & phaſeolum

Et Faba vulgaris, non pauper odoris, & albo
Ore nitens, oculis conſpicienda nigris.
Ni totos veſtiret agros, nutriret agreſtes,
Hortorum poterat non levis eſſe decor.
Quanquam Pythagoræ non intellecta renati
Verba quidem miſeræ non nocuere parum.
At vos, o ſemper, ſapientes, vera locuti,
Diſcite veridico planius ore loqui.

Torquet atrox guſtum virtute Lupinus amara,
Ingenium priſci quale Catonis erat.
Dilue ſed bene aquis illum, vinoque Catonem;
Dulcis uterque tibi permadefactus erit.

communi nomine appellamus; eſt autem hic phaſeolus magis proprie dicendus quam faba. *Phaſeolus vulgaris* LINN. flore coccineo.

v. 431. *Vicia Faba* LINN. Literas lugubres eas maculas appellat, Plin. Sed & oculi quoque latine ſatis dici poſſunt: nam idem Plin. ait lib. 8. 17. Pantheris in candido breves macularum oculi.

v. 435. Par ſcelus Pythagoras eſſe dicebat, Ἐσθίειν κυάμους, κεφαλὰς ἐσθίειν. Notiſſimum præceptum ejus, Fabis abſtineto, ſed ſenſus ejus valde dubius controverſusque eſt; nam & ipſum Fabis libentiſſime veſci ſolitum memoriæ proditum eſt. De interpretatione præcepti, vid. Plin. 18. 12. Gel. 11. 4. Cæl. Rhodig. 17. 27. etc.

v. 439. Angl. *Lupine.* Tria ſunt genera, flore albo, luteo, & cæruleo. Lupinum ab omnibus animalibus amaritudine ſua tutum, Plin. 18. 14. Sed addit. Maceratum calida aqua homini quoque in cibo eſt; nam bovem unum modii ſinguli ſatiant, validumque præſtant. *Lupini variæ ſpecies* LINN.

Hi flores, & mille alii, simul agmine longo
Et pompæ lento præteriere gradu.
Procedunt tracta per humum radice decenter,
Ut sua serpentes florida terga movent.
Soli Mandragoræ geminis bene cruribus apti
Humano incedunt, fœmina masque, modo.
Mandragoræ bello pene est Dea territa monstro,
Semiflorem illum semihominemque videns.
Abfuit hoc Nymphæa choro, non, credo, quod oris
Fidere non ausit viribus illa sui.
Forma colorque boni certe; quot cernere ubique
Fastosas vultu deteriore licet?
Et si certamen de nobilitate fuisset,
Nulla fuit tanta nobilitate potens.
Nympha palustris erat; quantum decus! Herculis uxor,
Diis geniti herois; nunc quoque & ille Deus.

v. 447. *Mandrake.* Mandragoram alii *Circeium* vocant; duo ejus genera: Candidus qui & mas, niger, quæ fœmina existimatur, angustioribus foliis quam Lactucæ, hirsutis caulibus, radicibusque binis ternisve rufulis, intus albis carnosis, tenerisque pene cubitalibus, etc. Plin. 15. 13. Ab hac radicum quasi crurum similitudine (sunt enim plerumque binæ, ut sæpe & in pastinacis tenuifoliis videre est) mirum fingunt de hac planta vanissimi agyrtæ, creditque vulgus humanam habere figuram non sexus differentia etiam oculis percipienda, quia & gemitus erutum edere exitiales effodienti. Semihominis vesano gramine fœta Mandragoræ. Colum. lib. 10. *Atropa Mandragora* Linn.

v. 456. De Nymphæa vide quæ libro 1 diximus.

Conſtitit hoc magno miſeræ; namque Herculis illam
De madido plantam Numine fecit amor.
Ex illo gravis & triſtis, lacrymoſa, ſevera
Vivit, & ipſum odio nomen amoris habet.
Concubitusque odio eſt & quicquid ducit ad illum,
Luſus, blanditiæ, liberiorque jocus.
Et quia nota Deæ fertur laſcivia Floræ,
(De tanta hoc fas eſt ſi memorare Dea,
Nam dum viva fuit, dum fœmina, ſemper amori,
Et choreis operam, nequitiisque dedit)
Siſtere famoſum ſe noluit ante tribunal,
Nec regno hac vellet conditione frui.
Ah mallet ſtagnis radicem, credo, relictis,
Ante tuum nudam ſiſtere, Phœbe, jubar.
Sanctior his longe Maracottam cauſa profanis
Ridiculisque ſimul juſſit abeſſe ſacris,
Pictorum vatumque Deos contemnit & odit,
Signata alterius religione Dei.

v. 473. Vide deſcriptionem hujus plantæ, admirabilis ſane pulcherrimæque, apud Fabricium (ſi ridere lubet) qui materiam hic nactus non vulgarem, ſtrenuiſſime, more ſuo, ineptit. Granadillam Hiſpani (quod pomum Malo granato ſive Punico non abſimile ferat) Americani Maracottam nominant. Flos Paſſionis Jeſuitis dicitur, quod excepta cruce, omnia inſtrumenta dominicæ paſſionis in illo conſpiciant; Illi quidem, hebetioris viſus homunculi non item, Maracoe, ſive Clematis Virginiana (*The Virginian Climer*) à Parkinſono appellatur, quod a colonia noſtra virginiana in Angliam primum miſſa ſit. *Paſſiflora cærulea* LINN.

Deridet Venerem, & Floram, fœdumque Priapum,
Et Phœbum, & ficti monstra jocosa poli.
Nescio quæ, latitant sed in hoc mysteria flore
Magna quidem, & nostris non referenda modis.
Nec temere, nec naturæ sine mente parentis
Tam non vulgaris, tam nova forma data est.
Alba decem folia expandit; toga convenit alba
Virginibus castis, pontificumque choro:
Purpurea duplicis limbi pars ima corona
Bis cincta est; sancti martyris ille color.
Multa tegunt florem (sed tectus non latet ille)
Stamina inauratis subrubicunda crocis.
Hoc diadema aliqui, spinis horrentia serta,
Sanguine tincta sacro serta, referre putant.
Et porphyriaci consurgit marmoris instar
Undique sanguineis sparsa columna notis.
Sunt quoque (donati peracuto lumine visus,
Namque hebetes oculos plurima mira latent)
Pendula qui clare media summaque columna
Spongiolam, clavos, flagra cruenta vident.
Melle tument intus dulci, capitisque figuram
Parva coronati candida poma gerunt.
At radix sub humum descendit longa profundam,
Tartara victricem visere velle putes.
Et quasi si totum cuperet complectier orbem,
Non extirpanda fertilitate viget.

Turba petitorum reſtabat ſola, nec ipſa
Magna quidem; paucis vis ea mentis erat.
Inter odoratos regnum tam dulce petentes
Ecquis te, flores quærere Moly velit.
Te cognata tibi redolentem ruſtica plantam
Allia, meſſorum prandia, Moly velit?
Eſt aliquid (plantæ decus hoc ſenſere vel ipſæ)
Mæonidæ ſacro nomen habere libro.
Hoc tibi dat magnos animos, faſtumque tyranni,
Hoc titulo regnum te meruiſſe putas.

v. 507. Quæ nunc Moly plantæ vocantur, ex aliorum eſſe genere odor ſaporque teſtantur; unde illud honorificentiſſimum olim nomen adeptæ ſint, divinare nemo poteſt, cum Homerico certe Moly (quod nullum eſſe in natura rerum non dubito, non magis quam fabuloſum illud Hebræorum huic affine Baaras à Joſepho, lib. 7. 24. memoratum) nulla in re conveniunt, Hom. 10. Odyſſes.

Ὡς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης,
Ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτῆ ἔδειξεν.
Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἶκελον ἄνθος·
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δέ τ' ἐρύσσειν.
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Plin. de hoc Moly, ſicut ipſe conjecturam facit, ſic ait lib. 25. 4. Laudatiſſima herbarum eſt Homero, quam vocari a Diis putat Moly, & inventionem ejus Mercurio aſſignat, contraque ſumma veneficia demonſtrat; naſci eam hodie circa Pheneam & in Cyllene Arcadiæ tradunt, ſpecie illa Homerica, radice rotunda nigraque magnitudine cepæ, folio ſcyllæ, effodi autem difficulter. Græci autores florem hunc luteum pinxere, cum Homerus, candidum ſcripſerit. Inveni e peritis herbarum medicis qui & in Italia eam naſci dicerent, afferrique Campania mihi aliquot diebus effoſſam inter difficultates ſaxeas radicis triginta pedes longæ, ac ne ſic quidem ſolidæ, ſed abruptæ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0275
DFG

Tanta laude tumens medium procedis in æquor,
Et graveolenti audes fortiter ore loqui.

MOLY.

Impoſuere Dei nomen mihi; Moly me vocarunt;
Nomen verendum myſticumque Moly.
Non bene grammaticis vox cognita; calluit ſed omnem
Linguam Deorum, Divus ipſe, Homerus.
Moly Deum lingua Græcis Μέγα dicitur, latinis
Magnum; Deorum mollius ſonat vox.
Victa meis divina venefica, Sole nata, Circe,
Ceſſit venenis, fortibus piisque.
Vixiſſet ſine me ſollertia perſpicax Ulyſſis
Contecta ſetis indecenter apri.
Illi Mercurius dedit agmina mille, vimque magnam
Aſtutiarum conſilique fruſtra.
Ingeniique rotam verſatilis, eloquentiæque;
Ni me dediſſet majus acriusque.
Telum ——————————————
—— multa quidem parat addere dicta, ſed illi
Non nullum iratum ſuſpicor eſſe Deum.

Infœlix

Infœlix emittit olentes Ulpica ructus,
Famoſumque gravi prodit odore genus.
At circum miſeri caſu rivalis acerbo,
Gaudere, & riſu cætera turba quati.
Non erat invidiæ tam pauper planta ferendæ,
Nominis (heu demens!) ambitioſa ſacri.
Et cœpere omnes luſu cantare jocoſo
(Nota illis lyrici carmina vatis erant.)

(*) Parentis olim ſiquis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edat Cicutis Allium nocentius;
O dura meſſorum ilia!
Sed lætum abrupit, ſubridens ipſa, tumultum
Significans nutu ſe Dea velle loqui.
Molliter efficta in vocem ſuaviſſima ſuavem
Aura, profanatum luſtrat odore locum.

v. 19. Ulpicum, genus allii grandiſſimum, maximi incrementi, Punicum, Ἀφροσκόροδον gr.
Tu plenior alii Ulpici quam romani remiges.
Plaut. in Pæn.
Alliaque infractis ſpicis & olentia late,
Ulpica ——————
Col. lib. 10.
(*) Horat. ep. lib. od. 3.

FLORA.

Non mendax vanusve mihi dicetur Homerus
(Me quanquam omisit versibus ille suis)
Turpiter hoc; sed mi fas est ignoscere cæco,
Munifice reliquos obligat ille Deos.
Quisquis tam pius est, veracem credite eundem;
Et de Moly suo non nisi vera refert.
Mortales Baaran hebræo nomine dicunt
Mæonides sacro nomine Moly vocat.
Est talis mihi flos; infœlix, est mihi, dico?
Nempe fuit; sed jam nomina sola manent.
Postquam nota homini tam dia potentia plantæ
Suspecta, & superis invidiosa fuit.
Mercurioque Patrem, quod eam monstrasset Ulyssi,
Iratum colaphos fama dedisse refert.
Non equidem hoc vidi, sed vidi proh scelus!) ipsa
Indignis miserum Moly perire modis.
In barathrum radix descendit nigra profundum,
Extirpare illam vix Deus ipse valet.
Velle quidem credas mundi Cacodæmonas imi,
Horridaque inferni monstra fugare soli.
Jupiter irridens, opus est hæc improba multas
Et non vulgares ut bibat, inquit, aquas.

Ergo Deam Lympham vocat, & mirabile, dixit,
Per Ciconum noſti ſerpere flumen agros:
Hinc tu marmoreas undas Dea largiter hauri,
Et quocunque vides creſcere Moly loco.
Funde ſuper nimbos ſed funde capacibus urnis,
Et multo bibulum rore benigna riga.
Juſſa facit, plenos illi non invidet hauſtus;
Mortifera haud parce frigora Moly vorat.
Protenus (horrendum dictu) pro caule columnam
Stare, atque in ſummo ſculptile floris opus.
Marmoris & fuſci radicem ducere venas;
O monumentum ingens mortua planta fui!
Hunc habuit finem parvi immoderata poteſtas
Germinis, & ſuperis fama propinqua nimis.

Quid mirum Jovis ingentes ſi pertulit iras
Rivalis ſummi flos meus ille Jovis?
Ille admirandus caſtæ Junonis adulter,
Ille Deæ conjux & pater ille Dei?

v. 23. Lympha non tantum aquam ſignificat, ſed & Deam aquæ. Teſtis Varro qui eam invocat inter duodecim Deos Conſentos, agricolarum duces, initio libri; nec non etiam precor Lympham ac Bonum Eventum, quoniam ſine aqua omnis arida ac miſera agricultura, ſine ſucceſſu ac bono eventu, fruſtratio eſt.

v. 24. *Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit*
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.
Ovid. Metam. 15.

v. 37 Flos cujus tactu Juno Martem concepit. Vid. Fab. Ovid. Faſtor. lib. 5.

Quid genuit? Numen; nec de mediocribus unum,
Pæne ſuo Vitrico par, & (ut Ille) tonans.
Et genuit tactu, non magno humilique labore
Quo ſobolem extundit Jupiter ipſe ſuam.
Forma quidem (quantum vitæ natura virentis
Paſſa eſt) totius bellica floris erat.
Fingitur in rigidam gladii folium omne figuram,
Et cæſim & punctim vulnera ferre valens.
Et ferrugineam variant diſcrimina rubra;
Lamina ceu chalibis ſanguine tincta nitet.
Sanguineusque horret falcatis undique ſpinis,
Caulis & in toto purpurat ore cruor.
Fundus habet clypei ſpeciem, micat aureus umbo
In medio, at capitis ſtat galeatus apex.
Stamina habent arcum, nervos, albasque ſagittas,
Puniceo auratum nec pede calcar abeſt.
Huic equidem caſtam bellatricemque Minervam
Conſtituebam apto jungere connubio.
Quo fieret vitæ ſervata lege ſeveræ,
Atque illibata virginitate parens.
Unicus ille meis (fateor) creſcebat in hortis
Et mihi ob id Phœnix nomine dictus erat:
Seminis infœlix hic fertilitatis egebat
Auctor, & eunuchus flos erat ipſe ſibi.
Utque propagarem mundo tam nobile germen
Tentavi, fateor, ſedula mille modos.
Ingenio deſperandum nihil arbitror, arte
Omnia vincuntur; ſcilicet arte Deûm.

Jamque tener veteri bulbus ſuccreſcere bulbo,
Cœpit Phœnicis ſpes prope certa novi.
Ecquis erit finis? turbatus Jupiter inquit,
Expectem, hic infans dum creet ipſe Deos?
Æqualem in cœlis (patiar modo) nempe videbo
Progeniem floris, progeniemque Jovis.
Ergo, monſtrum horrendum ingens cui Lumen ademptum
Inſolito Talpam terribilem ore facit:
Ille rapax prædo noſtris immittitur hortis,
Mole minor, ſimilis ſed Caledonis apro.
Quas dederit late ſtrages pictasque ruinas,
Quis poterit ſiccis commemorare genis?
Illum nec poterat Ricinus, nec Sulphuris aura,
Nec Laſeris, nec odor, moly, fugare tuus.
Nec contentus erat majorum more ſuorum
Venatum vermes ire, levesque feras.
Ille epicuræus bulbos & tubera porcus,
Pulpamenta vorat deliciasque meas.
Uno nempe decem mihi libræ pendo coronas,
Totque Tuliparum perdidit ille die;
Quot vellem ſuperum certe nunc vendere nulli,
Vel mihi bis decies ſi numerata daret.

v. 81. Ricinus (Palma Chriſti, *great Spurg*) olim dictus eſt à magnis autoribus (Falſum hoc quidem, ſed nihil id mea refert in hoc loco) in horto conſitus Talpas omnes fugare. Alii Sulphuris fumo in cuniculos immiſſo, aut Aſæ fœtidæ (i. Laſeris) aut Allii odore eos abigere præcipiunt.

Fortiter iſta tuli & divine; talia damna
Ex facili noſtræ perpetiuntur opes.
Dum paro vim contra, Talpa execrabilis ille
Phœnicem rabido devorat ore meum.
Cumque parente ſimul (facinus crudele!) tenellus
Affixus lateri bulbulus ipſe perit.
Heu Scelus! — hic lacrymæ, nempe hic chryſtallina roris,
(Hoc lacrymare Deæ eſt) plurima gutta cadit.
Diſſimulare cupit fletus, atque humida terget
Per cauſam admota leniter ora manu.
At tu Moly novum, quod forte comedit Homerus
(Nam nimium ille (pudet dicere) pauper erat:
Sed puto quod nullo celebrandum carmine duxit,
Hæc exempla videns nomina tanta fuge.
Ah fuge crudeles divinæ ſtirpis honores
Intra naturam ſit ſatis eſſe tuam.
Ruſtica tu ſoboles, ruris fortuna beati,
Non plantæ debet, non homini eſſe probro.
Finierat, mollique aſtantia Lilia nutu
Evocat arridens, & jubet ipſa loqui.

LILIUM CANDIDUM.

(*Lilium candidum* LINN.)

Qualis ſuperbum lotus olor caput
Trentæ ſereno vel thamiſis vado
Attollit, & turgens aquarum
Deſpicit inferius nitorem,
Se talis horto flos meus exerit
Sic ore celſus germina candido
Subjecta contemnit, paremque
Stare negat ſibi in orbe florem.

v. 1. Lilium roſæ nobilitate proximum, inquit Plin. at veteres poetæ tanquam eſſet omnium florum princeps, illud unum ſæpe pro omnibus nominant.

—— *Tibi Lilia plenis*
Ecce ferant Nymphæ calathis, etc.
Manibus date Lilia plenis. Virg.

Qua figura non raro utuntur & ſacræ litteræ. Dilectus meus paſcit inter Lilia, &, conſiderate Lilia agri quæ neque ſerunt, neque metunt, etc. & eodem modo dicendi λειριον vel χρῖνον. honoratur apud græcos; immo quicquid amabile eſt λειριόεν appellatur Apollo λείριος; Homerus etiam ſuavem vocem vocat ὀπαλειριόεσσαν, qualem, arbitror, latini intelligunt per vocem candidam. Quidam Roſam Junoniam nominant, quod ex fabula traductum videtur, quæ refert, Jovem cum vellet Herculem immortalitate donare, dormientis Junonis uberibus eum clam admoviſſe, illo autem nimis fortiter fugente magnam vim lactis effluxiſſe, partem ejus cœlo retentam, Galaxiam; partem vero in terram delapſam Lilia effeciſſe.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0283
DFG

Infantis ætas prima tenelluli
Nutritur albis, mollibus & cibis,
Quo pulchra candorem benignum
Ora trahant niveique mores.
Hinc cuncta aluntur lacte animantia,
Pulchris bonisque hoc sat mediocribus;
Me lacte sed nasci, verendo
Lacte Deæ voluere fata.
Junonis olim turgidula Ubera
Sugente magno fortiter Hercule,
Prorupit atque undavit albi
Vis subito immoderata fontis.
Qua fluxit, albo semite protenus
Tincti pavimentum enituit poli,
Guttæque formosi liquoris
Per tenues cecidere rimas.
Illæ receptæ fertilis in sinum
Terræ, resurgunt candida Lilia,
Et lacteis (monstrum decorum!)
Prata micant animata glebis.
Humana tali mens ab origine est.
Utræque cœli particulâ sumus.
Ramenta cœlestis metalli
Lapsa in humum pretiosa vilem.
Mens illa fœlix, quæ similis mei,
Sacræ colorem servat originis,
Candore nativo venusta,
Nec maculata, nec erubescens.

Ornata noſtro pax habitu venit,
Et pulchra pacis filia fauſtitas,
Et ſpes renidentes benignum,
Turbaque lucida gaudiorum.
Donata vultu eſt alba fides meo,
Et pulchritudo eſt, ſacraque caſtitas,
Rarisque conjunctæ puellis
Flore meo bene copulantur.
Natura multos lumine turbido,
Miſtisque tingit lauta coloribus
Flores ſed unum me reveſtit
Luce mera, liquidoque honore.

Sic ait, atque ſuperſedit bene conſcia formæ
Planta ſuæ, dotes commemorare alias.
Multa ſequebantur diverſo Lilia vultu
Candentem dominam, nec pudor ullus erat.
Ipſe ſequebaris generis flos Martagon alti,
Qui magni Ajacis diceris eſſe nepos.
Sed tanti herois generoſo ſanguine naſci
Quam vel lacte Deæ gloria viſa minor.
Tum vero ante alios expergefacta reſolvit
Et flos (ſed tarde) ſomnifer ora levat.
Ambitione ipſum vigilat ſuadente Papaver,
Et cauſam (non hoc munus inertis) agit.
Voce graves ſtimuloque abrumpit gloria ſomnos,
Et cantum, & gallis gloria calcar habet.

PAPAVER.

(*Papaver somniferum* LINN.)

Somne, lenimen placidum doloris,
Gaudium curæ, requies laborum,
Sola morborum medicina grata,
Somne beate.
Somne, non fallax miserorum amice,
Hospes agrestis sine fraude tecti,
Pauperum fautor, Deus innocentum,
Optime Somne.
Somne, qui mundum vicibus gubernas
Cum Jove æquatis, mediumque numen
Inter & Plutona es, & inter illum
Maxime Somne
Justus es (justum decet ut probumque
Numen) hic coram fateare fungi
Te tui virtute operaque nostra
Munia regni.
Illa non segnis (licet esse segnem
Diceres) late volitat per auras,
Et gravi plumbo feriens volucres
Sistere gaudet.

Illa componit placida quiete,
Inquies, regnum maris, insulasque
Mobiles Ponti religat catenis
Grandia Cete.
Illa Pantheras rapidos & Ursos,
Illa sylvarum dominos Leones,
Et feras Tygres domat & furentes
Illa tyrannos.
Qui, vel aspectu Basiliscus ipso
Duras occidit, Juvenumque corda
Dulcibus torquens oculi venenis
Pulchra puella,
Improbas vires & acuta condunt
Tela cum nutu jubeo potenti,
Et venenatis gravidam sagittis
Claudo pharetram.
Regulum sed quid loquor, aut puellam,
Summa serpentum genera aureorum?
Vis mea occidit Superos perennes
Funere curto.
Excipit solum Superum Parentem
(Jure an excepit dubito) Poeta,
Impii possunt vigilante cœlo
Esse beati?

v. 38. Iliad. 2. Ἄλλοι μὲν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
Εὗδον παννύχιοι, Δία δ' οὐκ ἔχεν ἡδὺμος ὕπνος.

Cum Jovem clamat penetratque nubes
Voce inaudita cruor innocentum;
Nonne tunc dormis? in utramque dormis
Jupiter aurem.
Siquis inviſum Cereri benignæ
Me putat germen, vehementer errat,
Illa me in partem recipit libenter
Fertilis agri.
Meque frumentumque ſimul per omnes
Conſulens mundo Dea ſpargit oras,
Creſcite, o (dicit) duo magna ſuſtentacula vitæ.
Carpe, mortalis, mea dona lætus,
Carpe, nec plantas alias require,
Sed ſatur panis, ſatur & ſoporis,
Cætera ſperne.
Ipſe ſe noſtro exhilarat ſapore,
Meque commiſtus liquidoque melle,
Se vel ad menſæ relevat ſecundæ
Panis honorem.

v. 60. Candidi Papaveris ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos dabatur. Hoc & panis ruſtici crate inſpergitur affuſo ovo inhærens. Pl. lib. 19. 8. Ad hunc morem alludens Petronius, dicit mellitos verborum globulos & omnia dicta factaque quaſi Papavere & Seſamo ſparſa, & Plaut. Ut mulſa loquitur? Nil niſi laterculos (i. placentas laterculorum forma) Seſamum, Papaveremque triticeum & frictas nuces.

Spiceis ornata Ceres corollis,
Me manu geſtat, tetigitque primum
Ore, materni diuturna poſt je-
junia luctus,
Prætulit cunctis mea jure grana,
Grana quæ certe potuere ſola
Et famem longam ſimul & dolores
Solvere longos.
Ergo fœcundum ſuper omne germen
Me Deus fecit, numeroque turbæ
Perſicum vincit mea ſeminalis
Capſula caſtrum.
Fertiles creſcunt homini labores,
Fertiles creſcunt & ubique morbi,
Cura per totum vigil evagatur
Fertilis orbem.
Vidit hoc mundum miſeratus ægrum,
Jupiter, viditque deditque noſtram
Totque tantisque antidotum venenis
Fertiliorem.

v. 64. Simulachra Cereris Papaver olim manu geſtabant, vel quod inter ſegetes ſponte creſcat, ejusque inventrix Ceres ipſa quibusdam dicatur, vel quod eſui fuerit antiquis velut frumentum (unde veſcum & cereale Papaver dicitur, Virg. vel quod Ceres poſt amiſſam filiam eo primum cibo ad oblivionem doloris uſa ſit.

v. 72. Proverbialiter Ovidius dicit, *quotque ſoporiferum grana Papaver habet.*

Dixerat hæc, & plura (puto) meditata referre.
Mens erat, at curſu ſubſtitit in medio.
Planta ſoporato nutabat languida flore,
Nec poterat vires ferre gravata ſuas.
Mira loquor (ſed quid timidus nimiumque modeſtus
Hæc taceam, certa mira relata fide?)
Siqua fides (neque enim hiſtoriæ mendacia veræ
More poetarum jungere vana velim)
Florea reclinante ad humum lenta cervice
Nictabat dubiis concio tota oculis:
Narciſſus velut obſtipus triſtisve Hyacinthus,
Jupiter immodico cum premit imbre caput.
Senſerat hoc Zephyrus, ridetque atque increpat alis,
Attonitumque quatit fortior aura locum:
Oſcitat ad flatus atque oſcula nota mariti,
Prima Dea, atque oculos vix levat ipſa graves:
Purpureis motu incerto pudibunda ſoporem
Deterget digitis, & rogat, hora quota eſt?
Paulatim reliquæ mirantia lumina volvunt,
Concutiuntque comas ſuſpiciuntque diem.
Præcipue florem Solis torpore diurno
Turpiter ignavum ſuccubuiſſe pudet:
Pondera ſed capitis magni ſemperque reclivis
Cauſatus, ſomnum diſſimulare cupit.
Ante Deam multa ſtat majeſtate verendus,
Atque ita Phœbæo protenus ore canit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0290
DFG

FLOS SOLIS.

(*Helianthus annuus* LINN.)

Legitimus ſimili ſi filius ore probatur,
Certumque reddit, teſte natura, patrem:
Credite mi, fratres, cum vos ſpectabit Apollo,
Suſpectam habebit conjugis terræ fidem.
Per Styga jurabit, mea cum conſpexerit ora,
Alio creatum non fuiſſe me patre.
Et color auratæ, clypeataque frontis imago,
Radiisque cinctum convenit Phœbo caput.
Et niſi mortali genitus de matre fuiſſem,
Hic vultus inter aſtra donaſſet locum.
Me, prolem cœli, fratrem ne dicite, flores
Vos, o, gigantum terrei fraterculi.
Subſcribit formæ pietas, & fortius addit
Amorque, pietasque teſtimonium,
Ipſe, meum ſemper ſubmiſſo vertice adoro
Semperque ſpecto, ſemper obſervo Patrem;
Qua vertit vultus, vultus obverto ſequaces,
Et ſemper hærent oculi in obtutu pio.
Viderat hoc ſapiens pater (ut videt omnia) Phœbus,
Spuriisque vobis aut dubitandis liberis;

v. 1. Flos Solis, Chryſanthymum peruvianum, Sol indianus. Flos omnium maximus, excelſiſſimusque.

Has pro dote dedit terras in paupere mundo,
Sacri metalli (nempe Phœbæi) indigo.
At mihi divitibus sedem assignavit in oris,
Regnare late jussit orbe in aureo;
Ille suos inter thesauros jure reponit
Vivam monetam, imagine impressam sua.

Dixit, & haud humili reverenter more salutat
Bisque Deam flexo vertice, terque Patrem.
Flos subit eximius, titulo majore superbus,
Flos Jovis, & pulchra talia voce refert.

FLOS JOVIS, CARYOPHYLLUS.

(*Dianthus Caryophillus* LINN.)

Iste Auctore satus Medicinæ, quomodo nullam
Vim medicam sibi jactat inesse?
At Jove natus ego, & proles Jove digna parente,
Cor regnum mihi vindico summum.

v. 1. Caryophyllus sativus major, angl. *Gilloflowers*, quasi Julii flores. Maximus, carnations, variis nominibus à diversis autoribus indigitantur, veonica altera, vet. Altilis. Vet. coronaria, herba tunica Viola Damascena, Ocellus Damascenus. Cantabrica Plinii, iphium Theophrasti, & διὸς ἄνθος, flos Jovis, quod postremum nomen utpote honorificentius reliquis, elegit quanquam revera valde incertum sit an Græcis Romanisve fuerit cognitus.

Ille

Ille oculis placeat fulvo ſpectabilis auro,
Aurum ego ſum lætabile cordi.
Nec poterunt tantum curæ morbique levamen
Ipſa Tagi vada tinnula flavi:
Nec tua, Flos Solis, medicamen patria fulva,
Vel dare tota Peruvia, tantum.
Non poterit meus ipſe pater, ſi rurſus ab alto
In rutilo deſcenderet imbre.
At tu, ne florem locupletem crede, colore
Sit totus licet aureus, uno.
Quas tibi fingis opes? indutum ſemper eadem
Pauperis eſt incedere veſte.
Ipſa mihi ternis tunicis, vel forte quaternis,
Nec Roſa dives habebitur unquam,
Dicenda eſt opulenta Anemone, opulenta Tulipa eſt,
Et ſeſe utraque veſtit honeſte.
Sed mea vel tales opulentia vincit utrasque,
Et Crœſus vocor ipſe colorum.
Nulla quidem illarum (veluti locupletis avari)
Munera vel benefacta videntur:
Noſtra ſuis opibus par eſt bene prodiga virtus,
Et melli eſt relevare miſellos.
Nec mihi dulcis odor, tanquam bona fama, recuſat
Tantorum comes eſſe bonorum.

Vox, odor, atque habitus, vultusq; ſtatusq; placebant,
Omnia dicenti plena decoris erant.
Nec modo rivales reliquos turbabat, at ipſi
Invidioſus erat terribilisque Roſæ:
Longa ſequebatur ſucco gentilis eodem
Creta cohors, forma, vi, numeroque potens,
Ex agris aderat ſimul his cognatio magna,
Et non ingrata ſimplicitate rudis.
Inde gigantæo ſubnixis robore parvi
Succeſſere loco, gens numeroſa Croci.
Dux erat his, quem purpurea ferrugine tinctum,
Anni declivis morbifera aſtra vident.
Quem domitis cœli ipſius ſenſere venenis
Inſignem bellis & pietate ducem.
Incepturus erat cum reſpicit ille, videtque
Impia militibus Colchica miſta ſuis:
Quid mihi vobiſcum eſt? clamat. Procul ite profana
Germina, nec cauſam dedecorate meam:
Ad ſua vos Circe nocturna nefandaque bella
Aut Medea ferox, dux popularis, agat.

v. 40. Crocus verus purpuraſcens autumnalis, cujus unius ſtamina (cum plurima ſint Crocorum genera) magnum culinis & multiplicem pharmacopoliis uſum præbent, angl. *Saffron*, ab Italo nomine.

v. 45. Angl. *Meadow Saffron*; Crocus prati, propter ſimilitudinem floris Colchicum dicitur à Colchide venenorum feraciſſima regione, & Bulbus ſtrangulatorius, & Ephemeron lethale. *Colchicum autumnale* LINN.

Cum vocat illa ſuos celebratque Chariſtia ſancta,
Vos eritis cœnæ fercula prima piæ.
Ite procul, fraterna reviſite toxica Ponti,
O florum, o terræ dedecus atque poli.
Sic ait increpitans, nam ſit licet ille benignus
Fervet & igneſcit bile venena videns.
Quanta eſt virtutis reverentia ſacra probatæ!
Demiſſo tacite diffugiunt capite.

CROCUS.

(*Crocus ſativus* LINN.)

Sunt qui nominibus tument ſonoris
Aut Phœbi patris aut tonantis alti,
At mi non licet eſſe tam ſuperbo
Qui flores humilis fero puſillos.
Implet gloriolam beatque noſtram
Nomen nobile conſecrati amantis.

v. 6. Smilax & Crocus, amoris impatientia in fruticem floremque converſi eſſe traduntur, ſed fabula a nemine qui extat, diſerte explicatur. Ovid. eos nominat tantum Metam. 4.

Et crocon in parvos verſam cum Smilace flores.

Plin. lib. 16. c. 35. de Hedera quæ vocatur Smilax, poſt deſcriptionem ejus, ſic addit. Infauſta omnibus ſacris & coronis, quoniam ſit lugubris, virgine ejus nominis propter amorem juvenis, Croci mutata in hunc florem.

Quem post tædia turbulenta vitæ
Per spes languidulas, metusque acutos,
Per fletus querimoniasque tractæ,
Tandem Jupiter æquus innocenti,
(Magnus non pater est mihi, at patronus)
Sub floris reliquos dies figura
Lætos degere dapsilesque jussit.
Nec tantum mihi dixit, esto lætus;
Dones lætitiam, manuque larga
Dispergas ubicunque, dixit, ibis.
Hæc dicens tria quatuorve flori,
Auri sidere tincta præpotenti
Junxit stamina, condiditque in illis
Centum lætitias lubentiasque,
Centum gaudia, centum amœnitates,
Risus, blanditias, jocos, lepores,
Scintillas celeres & enitentes,
Auratæ Veneris cupidinisque.
Pellit tristitiam metumque Bacchus,
Sed tanquam medicaster imperitus.
Nam vivunt redeuntque fortiores.
Serpentis caput obtero sed ipse,
Vanis vorticibus rotata cauda
Parvo tempore contumax repugnat.
Humorum mea vis malas paludes,
Auras pestiferas gravesque pellit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0296
DFG

Et morbos fugat & fugat venena,
Et quicquid premit obsidetque corda,
Purgato bene corde liberoque,
Per venas placidas per & micantes,
Mæandros vaga corporis per omnes
Discurrit, fugit ac redit vicissim,
Quam pellucida, læta, ludibunda,
Festive saliens nitensque vita!
Quid morbos juvat expulisse corde
Si pulmonibus hostis occupatis,
Præcludens aditus, viasque cœli
Rumpit fœdera commeantis auræ?
Sed non hoc patior, sacramque ab udis
Tersam vindico spongiam venenis,
Nostro spiritus undequaque tutus
Quo vult itque reditque commeatu.
Ingratus nimis immemorque amici,
Indignusque data foret salute

v. 33. Numero potestatum suarum omnes puto flores superat Crocus. Videamus breviter quid de eo credatur. Donatus est a natura Crocus virtute calefaciendi, exsiccandi, dissipandi, aperiendi poros, roborandi, coquendi, digerendi, emolliendi, tam foris applicatum, quam intus assumptum *Lauremb.* Cordialis est & pulmonicus (ita ut anima pulmonum audiat), uterinus, & hinc cæteris visceribus familiaris; calefacit, siccat, aperit, digerit, emollit, anodynus est, somnum conciliat, menses ac fœtum pellit, usus ejus frequens in syncope, apoplexia, hystericis affectibus, ictero, peste, aliisque venenosis morbis, asthmate, *Schræd.*

In præconia noſtra ſi negaret
Ullam impendere liberatus auram.
Sed me qui documenta magna amoris
Perfecti dederam magiſter olim,
Me vel nomen adhuc ſacrum puellis,
Neglexiſſe uterum locumque carum
Et mos & pietas vetant amantum.
Quicquid vivificas laceſſit oras,
Et nidum male vexat æſtuantem
Naturæ tenero incubantis ovo.
Proturbat mea vis forasque trudit,
Fructum concutit & revellit ipſum
Cum matrem premit egredique pugnat,
Ipſos enumerandus inter hoſtes.
Quod ſi, florea, principem recuſas
Talem natio, commodum piumque
Lætum & lætitiæ bonum datorem,
Sed juſtum tamen & malis ſeverum,
Sed fortem tamen impigrumque bello;
Si vis vivere ſerva ſub tyranno,
Noſtrum nos tibi Colchicum profecto
Commendabimus improbum propinquum.

Dixit, concuſſisque locum bis terve potenter
Staminibus læto ſparſit odore crocus.
Omnia jucundo perfundit germina nimbo,
Nectareasque animæ divitis halat opes:

Illa repentino teſtantur fulgure vultus;
Et leviter motis gaudia muta genis.
Triſtitiam tetricis pellit, rivalibus ipſis
Invidiam; cunctis cuncta venena fugat.
Attonitum relevat languentia colla papaver,
Et rorem ſomni diſcutit ore gravem:
Purpuream fœlix amaranthus ſurgit in haſtam
Ultimus, atque humiles deſpicit ipſe crocos.
Magnificæ tumidos animos dat gloria ſpicæ,
Et tituli ambitio non moderata ſacri.

AMARANTHUS.

(*Amaranthi vel Celoſiæ ſpecies* LINN.)

Imbelles Violæ, futilis & Roſa,
Eheu, purpurea præcipites fuga,
Formoſos pueros atque puellulas
Ornent Hemerocallidas.

v. 1. Amarantho non dubie vincimur. Eſt autem ſpica purpurea verius quam flos aliquis, & ipſe ſine odore. Mirtum in eo gaudere decerpi, & lætius renaſci. Provenit auguſto menſe, durat in autumnum. Alexandrino palma qui decerptus aſſervatur, mirumque poſtquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviſcit, & hybernas coronas facit. Summa ejus natura in nomine eſt, appellato, quoniam non marceſcat. Plin. lib. 21. 8. Ἀπὸ τῦ μὴ μαραίνεσθαι. Angl. *Flower-gentle*, *Floramour*. Gall. Paſſevelours. Et Helicryſum (*Goldilocks* Angl.) Amaranthus


Nos æterna Deum tempora cingimus,
Æternis comites semper honoribus,
Et nunquam capiti vel coma decidit,
Vel nos decidimus comis.
Spectate innumeras undique stellulas
Gemmantes superis in viridariis,
Sunt nostri similes, si mihi creditis,
Sunt flores Amaranthini.
Hoc Calthasque Rosasque albaque Lilia
Et vel mille alios nomine floſculos
Hortis ætheriis Cynthia suspicit,
Sed me despicit unicum.
Sunt, floris titulum qui mihi denegant,
Et spicam vocitant floream, ineptuli;
Non vulgare quidem (nec pudet hoc) decus,
Sed privum & proprium est mihi.
Me forma fateor surgere dispari.
Et vultu insolito; sed quid habet novi
Immortalia si germina differunt
A mortalibus omnibus?
Dii non sanguinem habent, sed quasi sanguinem:
Dii non corpora habent, sed quasi corpora:
Sum Divis similis: non ego floribus
Consto, sed quasi floribus.

luteus dicitur. Exsiccatus Amaranthus colorem retinet, ob id Deos eo coronabant, quod diligentissime Ptolemæus rex Ægypti observavit. Plin.

v. 25. Epicuræorum de Diis opinio, vid. Cic. de Nat. Deor. 1°. Hominis esse specie Deos confitendum est. Nec

Finierant cuncti, & late gemmante corona,
Dispositi turmis ordinibusque suis,
Circumiere Deam, ac pressis siluere labellis
Intenti; caules speque metuque tremunt.
Illam personæ reverentia congrua tantæ
Componit placidam, blanditiasque domat,
Annuit, & vultum effingit lasciva severum,
Pictaque Minois se gravitate levat.

FLORA.



Inter multa meæ memorans miracula, Romæ,
Concilium augustum purpureumque, patres,
Se Cineas regum dixit vidisse senatum,
Tantum erat in cunctis imperiale decus.

tamen ea species corpus est, sed quasi corpus: nec habens sanguinem sed quasi sanguinem. Quod ex Homero sumpsisse videtur Epicurus, qui de Venere vulnerata, Iliad 5. sic loquitur,

—— ῥέε δ' ἀμβροτον αἷμα θεοῖο
Ἰχὼρ οἷος πέρ τε ῥέει μακαίρεσσι θεοῖσιν.
Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον.
Τὼνεκ' ἀναίμονες εἰσὶ καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

v. 3. *Plutarch.* In vita Pyrrhi.

v. 18. *Illic Tarquinii mandata latentia nati*
Accipit, & virga Lilia summa metit.
Nuntius ut rediit, decussaque Lilia dixit.

Ovid. 1. Fast. At Livius summa papaverum capita decus-

Talem ego nunc cœtum video, nullumque corona
Non dignum, hæc inter millia, ſtare caput.
Difficilem electum tam dives copia reddit,
Et lances trutinæ firmat, utrasque replens,
Invidiam tituli deponite, cenſeo, tanti,
Et ſibi nemo, omnes quod meruere, petat.
Ut verum vobis fatear, Romana, Quirites,
Sum Dea, nec regem jura creare ſinunt.
Tarquinium ne hortis potero regnare ſuperbum,
Romulea factum numen in urbe, pati?
Et bene ſi memini gaviſa eſt veſtra tyranni
Sacrilegi juſta natio tota fuga.
Ille Gabinorum præludens cædibus, horto
Meſſuit infœlix Lilia ſumma ſuo.
Non hominum, florum capiti non ille pepercit,
Abſcidit horribili ſævus utrumque joco.
Vos quoque terrarum dominos imitarier æquum eſt,
Florigena ductum nobile Marte genus,
Eſto igitur, ſemperque mane, reſpublica florum,
Ordine plebeio patricioque potens.
Quod fœlix fauſtumque ſiet vobisque mihique,
Jucundumque hominum ſenſibus atque deum,

ſiſſe affirmat: & Plin. probat Papavera fuiſſe ſemper in honore apud Romanos, indicio eſt (inquit) Tarquinius Superbus, qui legatis a filio miſſis decutiendo Papavera in horto altiſſima ſanguinarium illud reſponſum hac facti ambage reddidit. lib. 19. 8. Et ſic fere alii, ſed abſit ut poetæ alicui Ovidii autoritas non ſufficiat.

Tu, Rosa, sis consul, collegam Lilia sume;
Pulcher & auspiciis talibus annus eat:
Prætores estote regendo quatuor Anno;
Præturam vernam, pulchra Tulipa, cape.
Flos æstiva Jovis, Crocus autumnalia jura
Dicat; & Helleboro bellica cedat hyems.
Invigilate, datum officii est, non munus honoris
Ipse honor est vobis, ipsaque vita brevis.

Dixerat, assensere omnes, luctumque repulsæ
Præsentem, sortis spes repetenda levat.

PLANTARUM.

LIBER QUINTUS.

POMONA.

Altius elatis insurgite carmina talis
Et pedis heroi gressum relevate cothurno,
Alta cano; gentem arboream, gentem æthere multo
Vicinoque polo & phœbo propriore beatam.
Illa leves odit pulchellis floribus aptos
Despicit illa humiles & dignos gramine versus.
Cætera materno se germina condunt,
Et vitam aerio tenuem non ausa profundo
Credere, tuta legunt ventosi littora regni:
His Deus ora dedit sublimia ferre per auras
Ad cœlum, & plantas subter ridere timentes,
Atque parum erectos hominum contemnere vultus.
Herculeas metas inter, magnique Columbi
Fulvum orbem, medio longe jacet insula Ponto,
Fortunatarum pulcherrima, quam beat ingens
Naturæ favor, & mira indulgentia cœli.

Non illic placidum, conſtans, ſolidumque ſerenum
Importuna cohors venti pluviæque laceſſunt.
Solus odoratis alarum molliter auris,
Plaudit humum Zephyrus fœcundoque incubat anno.
Non illam triſti nubes lacrymoſa macraque
Paſcit aqua, tacito ſaturat ſed rore benignus
Æther, & ſuccis vitalibus aſtra ſaginant.
Perpetuum & nullo violabile frigore regnum
Occupat hic modicis defenſa caloribus æſtas,
Ditior autumno, vere & formoſior ipſo;
Hic locuples nullis conturbat menſibus arbor,
Sed frondes ſimul & flores, fructusque ferentem
Omnis læta videt, videt omni Cynthia vultu.
Plurima nec tribuens, quædam negat invida more
Noſtrati; hic eadem ſemper fert omnia tellus.
Hunc coluiſſe locum ſtudio Pomona perenni
Poſthabitis magni Alcinoi Dea dicitur hortis.
Hanc ſapiens mundi mediam veterisque novique
Pomiferis ſtatuens umbroſam gentibus urbem,
(Arborei caput imperii ſedemque verendam)
Conſcriptis ab utroque replevit civibus orbe.
Illam tergemino circumdant undique vallo
Muricibusque adytum prohibent Paliurus acutis

v. 39. Omni genere ſpinarum, neque enim neceſſe eſt omnes nominare. Murices, alio nomine Triboli, vel Tribuli, machinulæ ferreæ erant aculeis extantibus infeſtæ, ad impediendas hoſtium irruptiones paſſim ſparſæ.

Paliurus, angl. *Chriſt's Thorn.* i. e. Chriſti ſpina, qua illum fuiſſe coronatum autumant, quia ſit in Paleſtina

Et Rubus & Rhamni & ſemper florens Pyracantha,
Et Spina appendix, & Spina potentior alba,
Vel magicas etiam valeat quæ pellere noxas.
At lepido directæ intus quincunce plateæ,
Totam oculis pandunt viridem gaudentibus urbem,

omnium maxime communis. Rubus, præter illum qui morum fert, (*Bramble*) & Cynosbaton (*the Eglantine* & Cynorrhodon (*the Wild Roſe*) & Rubum Idæ (*Raſberry*) comprehendit. Rhamnorum etiam diverſa genera apud græcos quæ diſtinguere, noſtraque lingua indigitare perquam difficile eſt. Nec certe major uſpiam apud botanicos veterum nominum ignoratio eſt, quam in hac ſpinoſarum tribu. Ipſa Oxyacantha Theophraſti alia eſt illi *Dioſcoridis*, utræque aliæ *Galenica*, etc. Pyracantha (quam Parkinſonus veram Oxyacantham arbitratur eſſe) arbor eſt fruticoſa, ſemper virens, pulcherrimis racemis baccarum corallinarum undecunque ornata, ſpinis munitiſſima, ramulis denſa, & omnium ſepimentorum, mea ſententia, optima. Angl. *The Coral Tree.*

v. 41. Miſſis hic Botanicorum controverſiis Spinam appendicem, Plinii cum Dalecampio Berberim noſtram puto eſſe. De ea ſic Plin. Spina eſt appendix appellata, quoniam baccæ puniceo colore in ea appendices vocantur, hæ crudæ per ſe & aridæ in vino coctæ, alvum citam ac tormina compeſcunt, lib. 24. 13.

The White-thorn, *Haw-thorn.* Spina alba, Ἀλεξίκακος olim credita, & omnium lemurum, ſtrigum, magicorumque medicamentorum averruncа. Ovid. faſt. 6.

Sic fatus Spinam qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Et paulo poſt.

Virgaque Janalis de Spina ſumitur alba.

Unde ominis cauſa novis nuptis ex hac arbore tædas præferre veteribus ſolenne erat. Janalis autem dicta, quia advertenda illa mala foribus prætexi ſolita eſt. *Cratægus Oxyacantha* LINN.

In medioque Deæ ſtat vivis fulta columnis
Et teſtudineis ædes topiaria ramis,
Cui circum paries & frondeſcentia tecta
Omnigenis diſtincta nitent pulcherrima pomis,
Eſſe putes variis Analypta extantia formis.
Hic Dea, jam lectis fœcundi fructibus horti,
(Nempe alibi lectis, hic nullo tempore ceſſant)
Vulnerat averſum cauda cum Scorpius annum,
Et gelido effœtum reddit ſterilemque veneno;
Hic ſua ſolenni ſacra vortumnalia more
Sacra ſui vario de nomine dicta mariti,
Ambitione colit multa, inſtauratque quotannis:
Illo lauta die (neque enim tum prodiga dici
Diva opulenta poteſt) hortenſibus apparat ingens
Ruricolisque Deis epulum; Venere frequentes
Patricio primi, ſummoque ex ordine cœli
Conſentum bis ſena cohors; nec abeſſe Priapus

v. 49. Opera ita exculpta, ut in iis imagines emineant, qualis ille caper ſtans extra pocula. Juven. Galli Relevata dicunt. Plin. in aſperitatem exciſa.

v. 52. Menſe Octobri ſol ingreditur ſcorpium; at teſte Varrone, vortumnalia a vortumno cujus feriæ Octobri menſe. Vertumnus dicitur quod in omnes ſe formas verteret, vel ab anno vertente cujus omnes fructus percipit.

v. 61. Varro in principio libri de R. R. Et quoniam Dei facientes adjuvant, prius invocabo eos, nec ut Homerus & Ennius muſas, ſed duodecim deos conſentis, neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratæ ſtant, ſed mares & fœminæ totidem, ſed illos duodecim deos qui maxime agricolarum duces ſunt & quos deinde enumerat, nempe, Jovem & Tellurem, Solem & Lunam,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0307
DFG

Suſtinet, & prurit laſcivus in hoſpite Diva;
Venit magna Pales, umbræque virentis amator
Pan Deus Arcadiæ, ſtimulat Silenus aſellum
Pone ſequens tardum, necnon agreſtia Fauni
Numina capripedes læti ad convivia ſaltant.
Subſequitur vulgus ſuperum, raroque ſuperbum
Thuris honore ſacri; Picumnus ſtercore diti
Sordidus, & Condus frugum Tutanus avarus,
Et Collina tumens, & tu Vallonia pinguis,
Et Rurina pedes latos perone revincta,
Et centum arboreæ Nymphæ per candida colla
Effuſæ, viridesque comas, mollemque gerentes
Depexam foliis tenuive ex cortice veſtem
Ipſa novos quoque miſit America ruſtica multos
Terribiles habitu, formaque & nomine Divos.

Cererem & Liberum, Robigum & Floram, Minervam & Venerem, Lympham ac Bonum Eventum.

v. 58. Picumnus, ſtercorandorum agrorum invenit uſum, unde & ſterquilinus dictus eſt. Serv. in 6. Æneid.

v. 59. Frumentis collectis atque reconditis ut tuto ſervarentur, Deam Tutilinam præpoſuerunt. Aug. lib. 4. de Civit. Dei c. 8. Super quo loco L. Vives, Tutanus & Utilina Dii qui rebus tuendis præerant. Non. Marcell. hunc Varro & periculoſis & ſubitis rebus invocari nomen eſſe dicit, at Herculem malorum depulſorem.

v. 60. Nec agrorum munus uni alicui Deo committendum arbitrati ſunt, ſed rura Deæ Ruſinæ, juga montium Deo Jugatino, collibus Deam Collatinam, vallibus Valloniam præfecerunt. Auguſt. ibid. ubi Ruſinæ & Collatinæ loco legendum eruditi putant Rurinam & Collinam.

Omnia

Omnia quis poterit, quis ſi centum ora darentur,
Guſtare illius vel dicere fercula menſæ?
Nullius fruticis, nullius & arboris illic
Symbola defuerant; circumſtant nobile Cetrum
Accumulantque dapes varia cum veſte miniſtri
Succincti, atque habiles duodeni ex ordine menſes.
Vina dedere Pyrus, Malusque, Eoaque Palma.
Et vina & calices Nux Indica. Prodiga Vitis
Mille meri dederat ſpecies, & lætus Iacchus
Attollens manibus ſpumantia pocula ſacro
Quem vicina Deæ miſit Cannaria ſucco.
Euge, ſolum cœleſte, inquit Canaria macte!
O infauſta cohors, abſentia Numina, quæ nunc
Sobria diſcumbunt cœlo, nectarque propinant!
Perſuaſit reliquis non futilis autor, at unam
Hauſerunt avide Chocolatam Flora Venusque,
Haud reor ignaræ virtutum neſcio quarum.
Indulgent genio Superi, ſapiuntque bonisque
Rebus agunt lætos convivas; unus eorum
Dicitur hæc inter clamaſſe, o ſtulta nocensque
Progenies hominum, quæ ſordida ſanguine multo,
Tam faciles natura cibos cum larga miniſtret,
Horrendas epulas mavult, luxumque ferarum,
Sacrificatque ſibi crudeliter, inque culinas
Avertit templis animalia debita noſtris.
Hoſpitis hinc omnes grato celebrare tumultu
Munera divitiasque deæ, pars Aurea Mala,

Pars Ficus, liquida ve tumentia Perſica carne.
Pars dites Oleæ ſuccos, pars maxima Vitem.
Audiit hæc, tantæque inter præconia laudis
Indignans graviterque ferens ſua Poma fileri
Mirandosque homini quos gignit America fructus
(Fœlix terra nimis prædivesque intus & extra)
Increpat ore Deos ſic Omelochilus iniquos,
Veſpertina ſuum quem prædicat India Bacchum.
Ecquis ait, veteris celeberrima Numina mundi
Livor habet? procul hoc vitium noſtratibus abſit,
Si noſtri meruere orbis fœlicia poma
(Vidi aliquos equidem non ſegniter illa vorantes)
Europæorum contingere labra Deorum,
Et laudem meruere aliquam; ſic reddere grates,
Sic ſuffragari non invida lingua palato
Debuit, at veſtræ venalis gratia famæ
Primitias tantum, decimas, libamina, honores
Ambitioſa ſuos celebrat; ſolasque probatis
Queis culti per longa fuiſtis ſæcula, fruges.
At non, ſi noſtrum fortuna afflixerit orbem
Deſtituit natura parens. Non ſi horridus armis
Gradivus ſuperavit Ochecum veſter inermem,
Non ſi turrigeri Neptuni claſſibus altis
Tlalloci canoæ noſtri ceſſere cavatæ,
Si ceſſit Viracocha Jovi, proh viribus impar!
Hiſpanusque ferox, cæſis cultoribus omnem
Divaſtavit agrum, & late ſola ſola reliquit.
Non, inquam, idcirco ſterileſcit America tellus

Luxuriante ſinu innumeros effundere fœtus,
Gaudet inexhauſta & victore potentior orbe,
Ignotos alibi & noſcendos tempore nullo
(Namque Europa Aſiaque & pauperis Africa venæ
Tam generoſa dabunt nunquam, mihi credite, poma)
Mille parit fructus; agite, o, fiducia ſiqua eſt,
(Quandoquidem hic omnes utriusque coegerit oræ
Arboreas Pomona dapes) locuplete Deorum
Judicio videamus uter ſit ditior orbis;
Ditior, ah! pomis dico; nam cætera noſtis.
Ah nimium noviſtis opes, frugesque Potoſi.
Aſſenſere alacri populares murmure divi,
Neve recuſarunt noſtri; gaudere Minerva
Confidens Oleæ; Bacchus ridere ſonorum:
Jam nova ab occiduis victoria quæritur Indis
Craterisque ferox acuit ſibi cornua denis;
Ergo placet dapibus tandem menisque remotis
Cenſum agere arboreum; Dea protinus evocat omnes,
Seque jubet medio viſendas ſiſtere pomos.
Ordine quamque ſuo; primæ procedere juſſæ
Quas vetus orbis alit duplici de gente nucumque
Malorumque, omnes generoſum ſtemma trahentes,
Malorum ſed mille domus & nomina mille.
Ipſa nuces inter numerata eſt Eſculus olim,
Omnis erat lautis pingueſcens glandibus arbor
Pars horti, Pomona, tui; ſed fercula tandem
Lignea Dodones, alimentaque debita porcis

Odit honesta fames; tandem fastosa decenter
Vix dea Castaneas dulces Corylosque recepit.
Magnificosque alto jactantem vertice conos
Aeriam Pinum, vix has, & pene gravatim,
Sed recipit tamen, atque locum meruere receptæ.
Prima subit Corylus campo, nucibusque jocosum
Velitibus certamen init, sedet arbore amata
Non umbram captans (dedit umbram cauda) Sciurus,
Sed ludo indulgens & cassa putamina spargens.
Diva refert, senibus non expugnabile pomum
Cernitis, abstineas frater Silene monebo.
Sed multum innocuis puerorum lusibus aptum
Et gratam malis non pubescentibus escam.
At vos, o pueri, jam jam vernante calore
Ocyus abjicitote nuces; odere puellæ:

v. 173. Credo pueros olim non tantum Juglandibus sed & omnium generum nucibus lusisse solitos, & Ocellata quibus Augustum cum pueris minutis lusisse solitum laxandi animi gratia refert Suetonius, aliqui has nuces avellanas, alii amygdalas, Alexander ab Alex. ingeniosissime, Persicorum Ossa, propter innumera eorum foramina & quasi ocellos interpretatur. Dalechamp. certe fallitur, qui per Ocellata intelligit genus optimum Juglandium quod Persicon & Basilicon vocat, Plin. lib. 14. 22. Quod ea (inquit) parte quo barbatæ suæ cuti adhæret, cum avelluntur, oculi figura delineata conspiciatur, nec id in ulla alia nuce appareat. Sed verba Suetonii sunt, Talis, aut Ocellatis nucibusque ludebat. Quod idem esset ex hac interpretatione acsi dixisset, Juglandibus, Juglandibusque ludebat, sed recte dici potest Persicorum nucleis nucibusque ludebat. Non inficias ibo doctissimum Casaub. cum Ocellata globulos lapideos aut eburneos putat esse (nostra-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0312
DFG

Reſpuit, ac ſpargi jubet oblectamina poſcens
Seria, & intentus ludis majoribus Hymen.
Bacchus ad hoc, pueris o germina digna patronis,
Quæ vites odio noſtras fugiuntque fugantque!
Gingivis o poma tuis digniſſima quondam,
Simia, ridicule turpes agitantia rugas!
Sobria ſubridens Pallas, mirabimur, infert,
Has inimicitias, Corylos odiſſe venena
Omnia ſi certum eſt? illarum plus mihi multo
Admirandus amor, quo vel tellure ſub alta

tes pueri appellant, *Bounding-ſtones*, & nullus adhuc frequentior ludus eſt puerilis) conjectura niti probabili, ſed nec altera eſt improbabilis. Omne genus igitur nuces die nuptiarum ſponſus vel ſpargebat, vel concubinis ſuis (ut innuit Catullus in Epithal. Jul. & Mall.) ſpargendas dabat, ut ſignificaret ſe puerilibus omnibus oblectamentis renunciare, eaque in poſterum facere velle.

—— *Nucibus facimus quæcunque relictis.*

(Ut ait Perſ.) Hanc enim veram hujus moris eſſe cauſam arbitror, non eas quas memorat, Plin. dicens, quæ cauſa eas nuptiis fecit religioſas, tot modis fœtu munito, quod eſt veriſimilius quam qua calendo tripudium ſonumve faciant) neque illas quas ex Varrone citat Servius, ut ſtrepitu puerorum nuces rapientium puellæ vox virginitatem amittentis obrueretur, aut denique ut Jovis omine (cui ſacræ ſunt nuces) matrimonium celebraretur.

v. 177. *Neve inter Corylos Vitem ſere* ——
Virg. Georg. 2. Et paulo poſt,

— *Cornu ductus ſtabit ſacer hircus ad aram,*
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Quod non ſolum hircus ſed & corylus nocent vitibus. Ex illo Plin. Vites odit Corylus, & ni procul abſit, triſtis & ægra eſt.

v. 181. Avellanarum nucleos venenis reſiſtere venenatorumque ictibus teſtatur, Gal. lib. 7. Simplic. Medic.

Thesauros male securos scrutantur avaræ.
En ut sceptra tenens Coryli divina potentis
Progreditur vates, oculisque errantibus auri
Rimatur nequicquam obscura cubilia tecti
Venator; sed enim prædæ nota aura propinquæ
Afflat, ut extremæ suspensa cacumina virgæ,
(Dulcis odor lucri facit ipso in stipite sensum.)
Illa tremens, fortisque sacro magnete metalli
Percita, ad amplexus propere se inclinat amatos,
Designatque locum, & vatem spe divite complet.
Quid mirum, si tanta premunt miracula mentem
Humanam, densaque vagam caligine volvunt?
Me, me ipsam certe cogunt dubitare, cerebro
Prognatum Jovis, & nutritum Numen Athenis;
Tu causam, tu pande (potes nam solus) Apollo,
Nos hominum turba, nobis Tu doctior ipsis.

v. 184. Metallicorum experientia compertum est, tantam cum metallis Coryli arborem sympathiam habere, ut si illius virga per loca ubi metalla lateant, recta deferatur, illico flectatur in abscondita metalli indicium. Bapt. P. faciunt ex Coryli sylvestris bifido furculo virgulam qua metalla scrutantur. Schrodr. hanc virgulam divinam vocant. Memini me videre quosdam, quos nunc virtuosos vocare mos est, cum in ludo litterario Westmonasterii puer agerem, qui hanc virgulam per omnes ecclesiæ collegiique partes ingentium thesaurorum reperiendorum spe, & impetrata ab ipso Rege venia circumtulerunt, multisque in locis terram effoderunt, indiciis nescio quibus decepti, sed post universi tridui laborem irritum, ab ipsis pueris irrisi discesserunt. Habet tamen adhuc magnam autoritatem hoc genus divinationis.

Dixerat, at tanto infœlix ænigmate Phœbus
Æſtuat irretitus, & errat cæcus in arcto.
Nunc animam mundi, nunc commovet Entelecheian,
Sympathiamque, atomosque vagas, fermentaque turbat,
Credas nigra ſuis oracula fundere Delphis:
Ridet anhelantem genitor, ſibi Jupiter uni
Iſta reſervari gaudens, hominesque Deosque
Naturæ nodos, & inextricabile textum
Materiæ, mundique ſui ſecreta latere.
Subſequitur Corylos, horti licet incola raro
Caſtanea, & late ſylveſtrem porrigit umbram,
Ferre nuces quicunque favent, ſed qui minus æqui
Glandes ferre volunt; riſerunt vilia Divi
Tergeminis munita armis, cataphractaque poma.
Lintea prima illi lorica, ſed apta duellis,
Undantem arcana ſiſtens virtute cruorem;
Proxima de ligno ſolido fabrefacta levique;
Tertia non tantum defendere nata, ſed hoſtem
Vulnerat, & longe telis extantibus horret.

v. 210. Nuces vocamus & Caſtaneas, quanquam accomodatiores glandium generi. Armatum iis echinato calyce vallum, mirumque viliſſima quæ tanta occultaverit cura naturæ. —— apud Græcos Sardianos balanos appellant, &c. Plin. 15. 23. A Caſtana Magneſiæ, vel ut quidam volunt, Apuliæ prope Tarentum, oppido nomen obtinent. *Fagus Caſtanea* LINN.

v. 214. Præter membranam rubram cortici ac carni intercedentem nihil officinis exhibent; illa membrana ſiſtit valenter immodicos alvi fluores, & ſanguinis rejectiones in vino auſtero ſumpta. Schrod.

Vix, puto, majores moviſſet & ipſe cachinnos,
Therſites clypeo Ajacis ſeptemplice tectus.
At ſua tutatur formæ reverentia Pinum,
Illa caput celſum nubes rigat inter aquoſas.
Virgiliana gerit, pulcherrima Pinus in horto.
Pan Deus agnoſcit venientem, ultroque ſalutat
Pinifero capite innutans, & tempora blandus
Cornibus ac foliis vallata inclinat acutis.
Neptunus feciſſet idem ſi forte fuiſſet
Præſens, nec tantos illi invidiſſet honores
Iſthmiacam ornanti ſacris Trieterida ſertis
Victoresque coronanti, plauſusque moventi,
Quos pater ipſe mari gaudens audiret utroque.
Non illam immerito colit, & ſibi vindicat unam

v. 224. *Fraxinus in ſylvis pulcherrima, Pinus in hortis. Virg. Ecl.*

v. 225. —— *Arcadio Pinus amata Deo.* Propert.

—— —— —— *Pan*
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans. Lucret.

v. 228. Omnium Iſthmorum celeberrimus Corinthiacus, triginta ſex ſtadia latus inter Ægæum & Jonium mare. Hic Neptunus cognomento Iſthmius, templum habuit luco Pineo circumcluſum, prope quem ludi Iſthmii celebrabantur, à Siſypho Corinthiorum rege primum in honorem Melicertæ inſtituti, poſtea diu intermiſſi, à Theſeo reſtituebantur, & ab illo, Neptuno conſecrabantur; victorum corona pinea præmium, vel propter commoditatem vicini illius luci pinei, eidem Neptuno dedicati, vel quod ex Pinu plerumque tunc temporis navigia fiebant, ideoque exiſtimabatur illa arbor maris eſſe Deo gratiſſima.

—— —— *Dat utile lignum*
—— *Navigiis Pinus.* Virg.

Neptunus, plantarum alias non magnus amator:
Illa ſolo ſtabili & natali colle relicto
(Quo ventoſa diu jactato vertice bella
Prælusit juvenis) montes habitare marinos
Gaudet, & æquoreis occurrere nuda procellis:
O fruſtra generi plantarum hominumque negatas
Diſcluſasque ſolo & donatas piſcibus undas!
Naturæ ſuperant ars atque induſtria leges,
Arboribusque virisque fit altera patria pontus.
At Cybelæ ante omnes ſtat grata in montibus Idæ,
Matri turrigeræ turriti verticis arbor;
Nunc formoſa arbor, ſed formoſiſſimus olim

v. 243. *Grata Deum matri ſiquidem Cybeleius Atys,*
Exuit hac hominem, truncoque induruit. Ovid. 10. Met.
Poma ſumus Cybeles ——————————
Mart.

Atys formoſiſſimus & chariſſimus Cybelæ puer, cum per mare Phrygium navigaret, ad flumen Gallum usque perveniſſe memoratur, ejusque potu ad inſaniam verſus, teſtes ſibi amputaviſſe ſilice, vel teſta,

Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta. Juven.

Seque Cybelæ conſecraviſſe, unde omnes poſt eum Deæ antiſtites, caſtrati, gallique appellati ſunt. Multis aliis etiam modis hæc fabula refertur, quos non eſt operæ pretium commemorare. Vide Catulli carmen de Berecynthia & Aty. Cybele autem (per quam telurem intelligunt) & Mater Idæa, aut Berecynthia, & Mater Magna, & Mater Deorum dicitur, turritamque coronam geſtare, quod terra quaſi coronetur urbibus.

Alma parens Idæa Deum cui Dindyma cordi
Turrigeræque urbes. ——— Virg.
Turrigetamque petit Cybelem ——— Claud. Id.
——— *& pronas intendit ad oſcula turres.*

Et ſæpe alibi venuſtiſſimum hæ turres uſum illi præbent.

Dilectusque Deæ puer; infœlicia teſtæ
Vulnera nunc damnat ſapiens caſtosque furores,
Nunc Venerem nucleis fovet irritatque morantem,
Et tibi jucundas tædas, Hymenæe, miniſtrat.
Aſt Ia, cui tædas de Spina præparat alba
Jam pater (alba faces tribuit tum Spina jugales)
Non jam deſponſata viro, proh, regia virgo,
Non jam ſemiviro, longam proo conjuge Pinum
Optato amplectens, vano intabeſcit amore.
Rivalem prius at ſociam nunc denique luctus,
Indurat teneram trunco miſerata Cybelle,
Et jubet eſſe nucem: fit Amygdalus; inficit ipſum
Perpetuus fructum, remanetque doloris amaror.
At ſoror (hæc miſeræ comes) evaneſcere vultus

v. 248. Nucleorum uſus præcipuus eſt in Phthyſi (quia nutriunt bene) tuſſi, ſtranguria atque acrimonia urinæ mitiganda, ſegnem excitant Venerem, ulcera renum mundificant. Schrod.

Tædæ nuptiales ex Spina alba primum, deinde ex Pinu factitatæ ſunt. Res notiſſima, ſuperſedeo exemplis.

v. 250. Ia, Midæ regis filia deſponſata Aty, ſponſo ſuo in arborem converſo, ipſa ſe interfecit, miſerata Cybele corpus in Amygdalum amaram transformavit; refert hæc Arnobius, cætera de ſorore ejus mihi ſubtexere placuit, & quidni liceat? Comitatur & alia fabula hanc arborem, Phyllida Demophoontis, viro ultra promiſſum tempus abſente, correptam amoris impatientia laqueo vitam finiviſſe, & in Amygdalum converſam fuiſſe, ſed ſine foliis, Demophoonta reverſum truncum ejus amplexum eſſe, illam autem ſenſiſſe adventum viri, & gaudio folia emiſiſſe; ab ejus nomine tum demum φύλλα dicta, cum ante πετάλα dicerentur.

Ut videt humanos, paulatimque ora subire
Lignea, crescentem librum retinere laborat,
Sed stupet obductam simili se cortice cernens.
Omnia par nisi quod mæror subdulcia poma
Lenior effecit, nulloque admixtus amore;
Mitior his multum virtus, operosior illis.
Nec tantum semel hæc habitandam se dedit arbor
Inque pios ramos truncumque recepit amantes:
Induit hanc etiam, & vita meliore renata est.
Heu nimium pactos menses numerare severa,
Impatiensque viri Phyllis Rhodopheia lenti,
Fronde nova laceros crines & caudice longo
Extentam informi letho mutata figuram.
Phyllis abit pudibunda, Ceres perlustrat euntem
Sollicite, fœtuque videns gemmascere multo
Spem Dea venturi locupletem præcipit anni.
Succedunt solidis Pistacia densa racemis,
Laudatamque ferunt victis serpentibus escam.

v. 273. *Contemplator item cum nux plurima sylvis*
Induet in florem & ramos curvabit olentes,
Si superant fœtus pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
Virg. Georg. 1.

Nucem, amygdalum hoc in loco omnes interpretantur.

v. 277. In nucum genere Pistacia nota, prodesse adversus serpentium traduntur morsus & potu & cibo. Plin. l. 13. 5. Nux Persiæ, Syriæ, Ægypto familarissima, sed & in Græcia quoque atque Italia crescens, hic etiam vivere non recusat, sed neque fructum fert neque florem. *Pistacia vera* LINN.

Sed venit, ecce, ingens multumque potentior arbos,
Quam dixere nucem mortales, Numina glandem,
At glandem Jovis, hic nullum non nomen honestat
Additus; ambrosiamque hominum si forte vocassent
Laudassent minus; haud equidem reor absque Deorum
Consilio hæc capitis nux est sortita figuram,
Nec Caryan græci frustra dixere diserti.
Illam callosas imitantem anfractibus undas
Innumeris, gyrosque voluminaque alba cerebri,
Investit tunica meninx bombycina molli;
Atque abducta super bifida consuta carina
Lignea defendit solido calvaria claustro:
Nec satis hoc, viridis tegitur post omnia pulchro
Orbe pericranii, decus est tutamine in ipso.
Neve parum liquide cognatio sacra probetur
Cum capite humano, minimamve calumnia rimam
Inveniat, crines parit atque alit illa, memorque

v. 279. Homerico more loquendi, qui alia rebus apud homines, alia apud Deos nomina assignat. Itaque Nux simpliciter, tanquam nucum maxima (est enim, ut ait Plin. pineis minor universitate, sed proportione amplior nucleo) ab hominibus appelletur; à Diis (si Diis placet) Juglans, hoc est διὸς Βάλανος. Jovis glans. *Juglans regia* Linn.

v. 284. A capitis similitudine nomen potius deduco quam à capitis gravedine (ut Plin.) propter odoris gravitatem, mihi quidem (ut pro meipso dicam) gratissimus odor est foliorum, itaque Macrob. dicit eam aliquos Juglandem dictam arbitrari, quasi Juvantem glandem; absit igitur ut nomen nucis vel à nocendo vel à nocte (quod putamina atro colore inficiat) derivemus.

Vel ſua quam turpis fuerit ſine frondibus arbor,
Non ſinit eſſe homines inhoneſto vertice calvos.
Quam variæ Juglandis opes? dat nobile fabrum
Uſibus atque annis non expugnabile lignum.
Illuſtrat pictoris opus, cæmentaque firmat,
Dat menſam, & menſæ bellaria grata ſecundæ,
Dat cœnis oleum, cœnanti lampada fulvam,
Præcipue medicum formidatumque venenis
Virus habet cunctis; non prodigioſa caninæ
Vincit eam ſpumæ rabies, non aeris ægri
Circumfuſa lues, cœlumque furentiaque aſtra,
Novit, dilectamque habuit, multumque comedit
Ille veneniferæ Mithridates maximus oræ,
Ille venenorum rector fortiſſimus olim.
Heu nimium ingratos homines! ſortemque malignam
Infeſtamque bonis! virtuti heu invida fata
Arboreæ! his meritis non tantum pellitur horto

v. 294. Putamen combuſtum tritumque in oleo aut vino, infantium capite peruncto, nutrit capillum, & ad alopecias eo ſic utuntur. Plin. 23. 8.

v. 298. Id. Plin. cariem vetuſtatemque tardiſſime ſentit Juglans.

v. 299. Nempe oleo e nucleis expreſſo.

v. 301. In ſanctuariis Mithridatis maximi regis devicti Cn. Pompeius invenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem ——— antidoti e duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano, & qui hoc jejunus ſumat nullum venenum nociturum illo die, contra rabioſi quoque canis morſus nuclei à jejuno homine commanducati illitique præſenti remedio eſſe dicuntur. Plin. lib. 23. 8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0321
DFG

Nux Jovis ipsius, sed toto excluditur agro:
Vix illam extremo desertus margine fundus,
Aut lapidosa solo recipit via publica macro.
Omnibus expositam damnis sævisque rapinis,
Hic miseram bello vexant mutilantque procaci
Immites pueri & vicinia rustica, & omnis
Turba viatorum, nec cessat saxeus imber,
Nec male fœcundos contundere pertica ramos.
Et jam tota nucum processerat agmine firmo
Turba, genus durum, genus insuperabile bello
Dentibus infirmis, superum sed in ore libenter
(Nec mora) contactæ summis patuere labellis.
Has inter, pictasque cutim, succoque tumentes,
Mollesque imbelli malorum corpore gentes,
Poma loco subeunt corio defensa rigenti,
Et cognata nucum populo dux Punica Malus
Non alio pomona magis vel flora superbit
Germine, nec dubitat Cytini Rosa verna colori
Cedere, nec vernans Aurora, nac igne Pyropus

v. 327. Democritus, aliique agriculturæ scriptores, malum punicum inter nuces reponendum censent, cum foris duro tegatur cortice, intus vero habeat quod esui sit, ea græci ἀχερόδρυα vocant. Plin. vero inter mala; mala (inquit) appellamus, quanquam diversi generis Persica & Granata. B. P. *Punica Granatum* LINN.

v. 329. Ab hoc flore puniceus color nomen obtinet. Dioscor. & Galeno lib. 6. Simplic. Cytinus flos est mali punicæ sativæ; Balaustium autem sylvestris flos est: at Plinio, Balaustium est utriusque. Cytinus autem rudimentum fructus primum.

Purpureo fulgens, nec coccina gloria regum,
Nec pudor in pulchro dilectæ virginis ore,
Junoni magnæ fructus sacer; aurea templi
Stat medio Heræi, Polycleti nobile Numen,
Hac sceptrum, formosa suæ Carthaginis illa
Poma tenens dextra (dextra est manus utraque Divis)
Non equidem indignum pomi tam fertilis orbem
Innumeris uterisque cavum, innumerisque tumentem
Seminibus Lucina fovet; verum infera Juno
Libatum reditus memor abscidisse supernos
Odit, & intranti torvos lacrymisque madentes
Heu nondum placata Ceres, avertit ocellos.

v. 337. Græci tradunt Heræum templum (à Junonis nomine dictum quam ἡραῖον appellarunt) in Euboea memorabile fuisse Junonis simulacro, Polycleti opere, ex ebore atque auro facto, altera manu sceptrum, altera malum punicum gestantis.

v. 339. Notum est Junonem atque Lucinam, eandem fuisse, quamque & Luna ita vocetur; sed primo neque Jupiter aliud à Sole, neque Luna aliud à Junone numen existimatum est. Pluto etiam infernus Jupiter, Proserpina inferna Juno, dicti sunt.

v. 340. Jupiter promisisse Cereri traditur, sibi restitutum iri filiam raptam, si nihil apud inferos degustasset; comederat autem misella septem vel tria grana (nam utrumque, Ovid. diversis in locis affirmat) mali punicæ.

——— *Cultis dum simplex errat in hortis*
Puniceum curva decerpserat arbore pomum,
Sumptaque pallenti septem de cortice grana
Presserat ore suo — *Metam.* 5.

At in Fast.

Rapta tribus, dixit, solvit jejunia granis,
Punica quæ texto cortice poma tegunt.

Omnia nimirum conſtringit punica, ſiſtit
Omnia, & Elyſiis, ubi non datur exitus, arvis:
Aptior haud ulla eſt arbos; manet ipſa retenta
Et religata tribus ſumptis Proſerpina granis.
At ſubito lux flava oculos perſtringere Divum
Mirantum, & blandi diſcurrere fulguris aura;
Ditavere locum ingreſſæ ſplendentibus umbris,
Heſperidum Citrus, Malusque Nerantia quondam

v. 346. Vix enim quicquam aſtringentius Malo Punico; ſiſtunt potu menſes fœminarum, ſanguinis exſcreationes, ventris & ſtomachi ſolutiones, genitalia, ulceraque quacunque in parte manantia. Siccavere etiam ut ſic quoque experirentur, inveneruntque tuſorum farina dyſentericos morte revocari, alvum ſiſti. Plin. lib. 23.

v. 350. *Lemons and Oranges.* Mala Aſſyria & Medica eadem fuiſſe genere (nata multa ſunt eorum genera & diverſis in regionibus valde differunt) quæ nunc Citria vocantur, nullus dubito, eaque (cum iis quæ Arantia dicuntur) fuiſſe Aurea Heſperidum Mala poetis celebratiſſima, quanquam Plin. aſſeverat Malum Medicam niſi apud Medas & in Perſide naſci nolle, cum nunc in omnibus calidis regionibus bene proveniant, principatum autem hodie obtineant Chinenſia, Citrus illa ex qua precioſiſſimæ veterum menſæ (quanquam & illa e Mauritania, ubi Heſperidum horti, oriunda) ab hac longe diverſa eſt & folio ſylveſtris Cupreſſus, cum hæc ſit Laurus. Malum Arantiam dictam volunt ab Arantia oppido Achaiæ, quod iis pomis abundaſſe ferunt, accedit Pauſaniæ autoritas, qui Herculem poma Heſperidum Arantiam primum tranſtuliſſe ſcribit, alii vocatum hæc Mala Aurantia, Ærantia, Nerantia, Narantia, Arania quaſi Ariana, ab Aria Perſica regione. Nicandri Scholiaſtes dicit Μῆλον ἐστὶ τὸ Μηδικὸν τὸ νεραντζίνον.

Gloria;

Gloria; perpetuis veſtitæ frondibus ambæ,
Perpetuo flore ornatæ, fœtuque tumentes
Perpetuo; germanæ ambæ, ſed palluit illas,
Hæc auro rubuit ſaturo; nec cœlifer Atlas
Dedignatus erat, qui ſydera vertice geſtat,
Has ſtellas plantaſſe, pedum ornamenta ſuorum,
Exiguas, magnæque imitamina parva coronæ.
Dicitur has muris clauſiſſe & montibus altis,
Multa cavens, nec contentus cuſtode Priapo,
Arboreoque Deo, vigilem expoſuiſſe draconem.
Perſpicite hæc aliis quantum pomaria præſtent,
Mendicos metuere vagos puerosque procaces
Illa, ſed Alciden magnum feciſſe latronem
Hæc meruere; venit Jove natus ab orbe remoto
Bellator, tantæque viæ tantique pericli
Poma relaturus mercedem Citria dignam:
Nec tamen hic verum prædæ cognoverat uſum
Infœlix preciumque ſuæ, Martisque peritus
Neſcierat vires plantarum, & Appollinis artes.
Si pomi aurati, monſtroſa venena domantis,
Virtutem herculeam noſſet, ſuccosque potentes,

v. 354. Metam. 4,
Tempus, Atla, veniet tua quo ſpoliabitur auro
Arbor, & hunc prædæ titulum Jove natus habebit,
Id metuens ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Montibus, & vaſto dederat ſervanda draconi.
Citrus Medica & Aurantium LINN.
v. 371. *Media fert triſtes ſuccos tardumque ſaporem*

Non illum irato Centauri sanguine mistum,
Multiplicis virus totum extinxisset Echidnæ,
Nec trepidam implessset furiosis vocibus Oetam,
Se tandem toties victa, nec jam amplius ullo
Ore renascenti, victum indignatus ab hydra.
Inde tribus numerosa Monostea nomine dicta,
Intrat, & has ducit Cerasus, quæ sedula grates
Et festina referre, salutat prima colonum,
Fructiferumque aperit baccis rutilantibus annum.
Majus egens dapibus, sed lauto dives amictu,
Miratur, floremque putat tam præcoque pomum.
Non ea fœcundos maturo sole calores
Æstatisque dies opperta moratur adultos:
Frigus amat modicum, cultuque tenellula nullo
Arva ambusta pati, aut tellurem cogitur assam;
Invitat frustra Ægyptus, Nilusque benignus,
Nilus abundanti saturat qui flumine plantas,
Nec madidam tanti mensum putat esse duorum
Luxuriam, ut sitiat reliquo & misera æstuet anno.

Fœlicis mali, quo non præsentius ullum:
Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
Miscueruntque herbas & non innoxia verba,
Auxilium venit, & membris agit atra venena etc.
Virg. Georg. & in hoc omnes medici consentiunt.

v. 378. Inter prima hoc e pomis colono gratiam annuam refert. Plin. 15. 25.

v. 383. Septentrione frigidisque gaudet, ib. Palladius. Cerasus amat cœli statum frigidum, in tepidis regionibus parva provenit.

v. 387. In Ægypto nulla cura potuere gigni. Plin. ib.

Italiam vix læta videt Romamque beatam,
Sed ſibi adhuc peregrina & adhuc captiva videtur.
Scilicet hanc bello captam, Ceraſunte ſubacta,
(Hoc habuit clarum chariſſima patria nomen)
Cum reliquis Ponti gazis & divite præda
Tranſtulit Italicos victor Lucullus in agros;
Et pars ipſa fuit non contemnenda triumphi.
Dicite Io Pæan ventoſo murmure lætæ
Italides pomi, ter Io, ter dicite Pæan:
Ipſa triumphantis Laurus geſtire videtur
Captivam Ceraſum ducens, Lauroque ſuperbæ
Plaudere Romani reſpublica nobilis horti.
Nec tu capta dole, ſed ovans comitare triumphum,

v. 393. Ceraſi ante victoriam L. Luculli non fuere in Italia, ad urbis annum 680. Is primum vexit e Ponto, annisque 120. trans oceanum in Britanniam usque pervenere. Plin. ib. Athenæus memoriæ prodidit Lucullum debellato Mithridate victorem reverſum primum arborem hanc à Ceraſunte Pontico municipio in Italiam detuliſſe, fructumque gentilitio nomine Ceraſium appellaſſe: veruntamen Diphilus Siphnius vir arte & facundia celebris, longe vetuſtior, utpote qui tempore Lyſimachi regis ſucceſſoris Alexandri vixit, Ceraſorum meminit: Ceraſa, inquiens, bonum ſuccum creant, ſed parum ſubminiſtrant alimenti, ſtomacho grata ſunt, & eidem auxiliantur in frigida ſumpta, rubentiora præſtant, & Mileſia quæ urinam pellunt. Sed Servius ait, antequam e Ceraſo urbe Lucullus adveheret, Ceraſium erat in Italia ſed durum & Cornu appellabatur, quod poſtea mixto nomine Cornuceraſium eſt vocatum. Nam Servius pomum Ceraſium non Ceraſum vocitari præcipit. B. P. *Prunus Ceraſus* LINN.

Tu modo, tu Latiæ civis (quid inepta recusas?)
Urbis eris, dominasque inter numerabere pomos.
Ejusdem venere tribus gens maxima Pruni,
In multas ramosa domus, varioque colore
Distinctas; quarum princeps ab origine mundi
Dicitur ipsius diti regnasse Damasco.
Illa quidem Hesperium sero migravit in orbem
Post domitas Orientis opes hortosque beatos,
Jam facilis victu, jam nullo non Jove læta,
Audet Hyperboreis radicem figere campis:
Omne solum plantæ nimirum est patria forti.
His affine genus, Malum cognomine præcox
Armeniumque aderat, sed stirpis major in istis

v. 408. Ingens turba prunorum, versicolor, nigra, candicans — Damascena à Syriæ Damasco cognominata, jampridem in Italia nascentia, grandiore ligno, & exiliore carne, nec unquam in rugas siccata, quoniam soles sui desunt. Plin. lib. 15. 13. Ubi miratur paulo post Prunorum mentionem à Catone non esse factam, cum condenda docuerit quædam & sylvestria, additque, Pruna omnia post Catonem cœpisse manifestum est. Damascenis inter omnia principatus, unde nostratia (Damasins) cognominantur, sed soli culpa ignobiliora. Prunisque Damasci stipantur calathi. Colum. *Prunus domestica* LINN.

v. 416. Persicorum genus in quatuor species dividemus secundum Palladii sententiam, scilicet in Præcocia, Armeniaca, Persica, Duracina, B. P. In his earumque subjectis speciebus distinguendis magnæ controversiæ, nec angustiis notarum decidendæ. Duas primas species nos communi nomine appellamus Abricots, (à græco Βερικόκκιον) 3. Peaches, 4. Nectorins, quæ puto & Rhodacena & Tuberes & Nuciperfica vocari, quod lævem cuteolam nucum repræsentent. Armeniaca, vel Armenia majora sunt præ-

Nobilitas apparet, odor generosior exit.
Ambrosiusque sapor perfundens ora liquescit.
Et rubet aspersо leviter color aureus ostro.
Sed pœne Assyrias spernit, nec Persica malis
Invidet Armeniis; lanugo serica fructum
Molliter investit, caro turgida nectare multo
Estur potaturque simul: Properate, fugaci
Maturæque dapi quid parcitis? illa reponi
Se vetat; haud unquam convivia crastina amarunt
Vel florum Rosa, vel pomorum Persica princeps.
Sunt etiam quibus ipsa suum pulcherrima nomen
Dat Rosa, conceditque volens Rhodocina vocari;
Non alienus odor, roseique in corpore tractus.
Illis summus honos, solidam mandentibus escam

cocibus, Armeniaca sola odore commendantur. Plin. *Prunus Armeniaca* LINN.

v. 420. Prunos Damascenas, nam Syrium & Assyrium idem est poetis; Assyrio fucatur lana veneno. Virg. 1. Tyrio.

v. 424. Pomum innocuum expetitur ægris, preciumque singulis jam triceni nummi fuere, nullius majore, quod miremur, quia non aliud fugacius, longissima namque decerpto bidui mora est, cogitque se venundari. Plin. 15. 12.

v. 428. Rhodacena Paulo c. 81. lib. 1. Persicorum genera ea sunt quos nos vocamus, *Auberges*, *Mirecotons*, *Presses*, sic dicta quod Rosam oleant, vel roseo colore picturata fere conspiciantur, ea fortasse Duracina latini vocarunt ob solidam carnis duritiem, cum mollis & tenera sit in persicis, Armeniis præcocibus, & tuberibus quæ vulgus appellat pesches noix. Dalecamp. in Plin. ib. *Amygdalus Persica* LINN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0329
DFG

Dura ferunt, ſolidisque fideliter oſſibus hærent.
Hac ori tenus indulget ſtomachoque calenti
Perſica, deliciis contenta impendere fructum,
Oſſa ſed, & crines, flores, lacrymasque vel ipſas,
Triſtitiam luxumque ſuum pia dedicat omnem
Utilitati hominum ſummæ, morbisque fugandis;
Pauca voluptati tribuens, ſed multa ſaluti.
Non ita quæ ſequitur cornus, male conſulit illa

v. 433. Perſica vulgo creduntur in ſua patria venenata naſci, eoque in errore fuit Colum.
— *Pomis quæ barbara Perſis*
Miſerat (ut fama eſt) patriis armata venenis,
At nunc expoſiti parvo diſcrimine lethi
(qui verſus mendoſus eſt)
Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi.
Error in ſimilitudine nominum Perſeæ & Perſicæ; quem Plin. notat lib. 15. 13. Perſicæ arbores fero & cum difficultate tranſiere, ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hoſpitium. Falſum eſt, venenata cum cruciatu, in Perſis gigni, & pœnarum cauſa a Regibus translata in Ægyptum, terra mitigata; id enim de Perſea diligentiores tradunt, quæ in totum alia eſt, myxis rubentibus ſimilis, nec extra Orientem naſci voluit. Galenus etiam lib. 2. κατὰ τόπες affirmat Perſeam à ſe viſam Alexandriæ, arborem proceram mali magnitudine, fructu Pyri, noxio in Perſide, veſco in Ægypto.
v. 434. Flores, folia ac nuclei calfac. ſicc. abſterg. Uſus præcipuus florum in lumbricis infantum, in alvi laxatione, meſenterii obſtructione, ſeri purgatione, & nucleorum in diureticis & lithonthripticis, in odſtructione hepatis, ardore ſtomachi. Extrinſecus adhibentur crebro in emulſionibus capitis dolori dicatis. Schrod. Lacryma tuſſi, aſthmati, omnibusque pulmonum vitiis medetur, & calculoſis utilis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0330
DFG

Humano infœlix generi, Martisque ſatelles
Impia, crudeli dat dura haſtilia ligno,
Jure colens ſylvas, indignaque mitibus hortis,
Et lapidoſa ferens poma auſterumque ſaporem.
It comes huic ſylvæ vetus incola Ziziphus Afræ,
Mitior at baccis; multa licet aſpera ſpina
Pacis amans gaudet florem præbere corollis,

v. 439. *Cornelian-berry or Cherry.* Bona bello Cornus Virg. Georg. 2. quod ex ea optima fiebant haſtilia. Id. Æneid. Volat Itala Cornus. *Cornus maſcula* LINN.

v. 444. *The Jujube Three* nobis ignota. Theophr. Παλιυρος Africana, quam ex Loti genere dicit eſſe. Galenus appellare videtur Sericum. Sic deſcribitur à B. P. Arbor infra Pruni magnitudinem, caudice retorrido nec ſatis recto, ramis ſenticoſis, multis aduncis intercalantibus ſpinis, e quibus ſurculi præclari, folioſi, ſpithamæ longitudine exeunt, frondes gerentes utrimque per intervallum impari exortu, lentiſci more per cubitum ſerratas, ſimiles 3. Dioſc. Rhamno, qui hyeme cum frondibus una decidunt: flore muſcoſo oleæ, ſed odorato magis porro Cornis ſimili, dulci, primo viridi, ultimo puniceo. De Zizipho Pl. lib. 15. 14. Æque peregrina ſunt Zizipha & Tuberes, quæ & ipſa non pridem venere in Italiam: hæc ex Africa, illa ex Syria, (ubi per hæc intelligere debemus, Zizipha; per illa, (Poma) Tuberes, tranſpoſitione non probabili, ſed a Plinio aliisque bonis autoribus aliquando uſurpata) Sextus Papinius quem conſulem vidimus, primus utraque attulit, D. Auguſti noviſſimis temporibus, in caſtrorum aggeribus, ſata, baccis ſimiliora quam malis, ſed aggeribus præcipue decora, quoniam & in tecta jam ſylvæ ſcandunt. Alibi Ziziphi flores ad coronamenta adhiberi ſcribit, his odoratus ſimilis Olearum floribus. L. 21. 9. Materies intus colorata eſt ſolidaque, ideo ex ea Cytharæ conficiuntur. B. P. *Rhamnus Jujuba* LINN. forſan & *Rhamnus Zizyphus* EJUSD.

Materiem cytharis præbere epularibus aptam.
Miſit & huc (patriam poſſes agnoſcere fuſcam)
Corpore nigrantem ſitientemque Africa Loton,
Ecce omnis ſuperum (quis honor mirabilis iſte
Arboris?) aſſurgit chorus, intrantemque ſalutat.
Solus at immoto dejecit lumina vultu
Conſcius, & quamvis perfricta fronte, Priapus,
Quamvis ante fuit ruber ore, rubeſcere viſus.
Agnovere Dei nimirum & in arbore Loto
(Omnia Dii norunt, namque hæc immane figura
Diſtant) agnovere in Loto Lotida Nympham.
Nil hominum generi ſuſpectum tale fuiſſet,

v. 448. Africa, qua vergit ad nos, inſignem arborem Loton gignit, quam vocant Celtin, & ipſam Italiæ familiarem, ſed terra mutatam. Præcipua eſt circa Syrtes & Naſamonas. Magnitudo quæ pyro, quanquam Cornel. Nepos brevem tradat. Inciſuræ in folio crebriores, alioquin ilicis viderentur. differentiæ plures eæque maxime fructu fiunt. Magnitudo huic fabæ, color Croci ſed ante maturitatem alius atque alius, ſicut in uva. Naſcitur denſus in ramis, Myrti modo, non ut in Italia Ceraſi. Tam dulci ibi cibo, ut nomen etiam genti terræque dederit, nimis hoſpitali advenarum oblivione patriæ. Ligno color niger. Ad tibiarum cantus expetitur. Plin. vide lib. 13. cap. 17. & 18. & lib. 16. 30 Lotos ſive Faba Græca, quam Romæ à ſuavitate fructus, ſylveſtris quidem, ſed Ceraſorum pene natura, Loton appellant, etc. *Celtis auſtralis* LINN.

v. 450. *Haud procul à ſtagno Tyrios imitata colores*
In ſpem baccarum creſcebat aquatica Lotos,
Lotos in hac Nymphe fugiens obſcæna Priapi
Contulerat verſos ſervato nomine vultus.
Ovid. Metam. 9.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0332
DFG

Agnovere tamen; fugiens hæc ſcilicet olim
Helleſpontiaci vim Numinis, inſcia tantæ
Nequitiæ, & magno nebulonis territa telo,
Dicitur hoc tandem vultus clauſiſſe pudicos
Cortice, nec rigidi cuneum admiſiſſe Priapi,
Non jam Nympha manet, mutata nec tamen illa
Conditione dolet; Nymphis longævior arbos
Nunc vivit, puerumque vocantes Neſtora Quercus
Ipſa vocat Puſas; eadem ſub rege Quirino
Fundamenta urbis, tandemque incendia Romæ
Se jactat vidiſſe Nerone ſub antiquirino,
Non erat illa quidem tanto longum igne ſuperſtes,
Sed ſimul & flammis & magno ſaucia luctu
Ante diem infœlix nec fato occumbere queſta eſt;
Nongentos (eheu!) nondum compleverat annos!
Nunc quoque defunctæ corpus ſupereſſe putandum eſt;
Hinc nullo tacitura ævo ſibi muſica fingit

v. 464. Romæ Lotos in Lucinæ area, anno qui fuit ſine magiſtratibus 369. urbis æde condita. Incertum ipſa quanto vetuſtior. Eſſe quidem vetuſtiorem non eſt dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur. Hæc nunc circiter annum 450. habet. Antiquior illa eſt, ſed incerta ejus ætas, quæ capillata dicitur, quoniam Veſtalium virginum capillus ad eam defertur. Verum altera Lotos in Vulcanali quod Romulus conſtituit ex victoria de decumis, æquæva urbi intelligitur, etc. Plin. lib. 16. 44. Duravere (Loti) ad Neronis principis incendia virides juvenesque ni princeps ille acceleraſſet etiam arborum mortem.

v. 473. Cariem vetuſtatemque non ſentit Lotos Id.

v. 474. Λωτινος αὐλός. Athen. 4. Palladius tenero Lotos ab ore ſonat Mart. lib. 8. ep. 51. 1. Tibia e Loto ſed

Organa tibicen, multoque ſonantior ore
More Poetarum auditur poſt funera Lotos.
Vel poſt mille annos floreſcit laude recenti
Jugiter, & vivit magis, æternumque vireſcit.
Tali (nam magica eſt certe dulcedo ſonorum)
Tali dum fuit in vivis dulcedine fructus
Deleniſſe homines fertur, Sirenibus olim
Dulciloquis Lotos, Circeque potentior ipſa.
Ecce triumphalis venit arbor; Nympha recede;
Inclyta Palma venit; contempto pondere victrix

quamobrem Lotus ibi maſculini fit generis? plane magis latinum eſſet, Palladia Lotos, ſed græco utitur genere, apud quos dicitur ὁ λωτὸς ſicut & alia arborum nomina ὁ λώτος & Oleaſter, ὁ κότινος, Arbutus, etc. Ovid. certe fœminino utitur.

— *Horrendo Lotos adunca ſono.*
Faſt. 4.

v. 480. Inde Syrtis major, in intimo ſinu fuit ora Lotophagon. Plin. lib. 4. c. 4. Huc cum exploratores miſiſſet Ulyſſes, dulcedine fructuum capti, redire noluerunt. Hom. Ὀδυσ. ι.

Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν
Οὐκέτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νεέσθαι,
Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισι
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν νόστου λαθέσθαι.

Unde λωτοῦ φάγες, proverb. dictum, cum quis amore alicujus loci captus, ibi ſe teneat, aliorumque oblivi ſcatur.

v. 484. Ut copia atque fertilitas (Palmarum) ita nobilitas in Judæa, nec in tota, ſed Hierechunte maxime etc. Judæa inclyta eſt vel magis palmis. Plin. lib. 13. 4.

Arhuſto palmarum divers Idume Luc.
Primus Idumæas referam tibi Muntua Palmas. Virg.
Phœnix Dactylifera LINN.

Emicat, exemplum virtuti ac præmia donans.
Illa quidem Solymis olim lætiſſima in agris
Vixit, Nunniadæ magni, magnique triumphos
Jeſſiadæ comitata ſacros; nunc (ſi bene novi
Arboris ingentes animos faſtumque decorum)
Damnati ſervire ſoli dolet incola dici.
Herculeam dat Piſa Oleam, dant Laurea Delphi,
Atque apium Nemea, atque Iſthmos Neptunia Pinum,
Sed ſimul & Palmam tribuunt victoribus omnes,
Omnis in hunc Palmæ conſentit mundus honorem,
Et merito, neque enim eſt veræ virtutis imago
Verior in terris; ſic inviolata decorem
Armati ſemper folii ſemperque virentis,
Servat, non æſtum metuens non frigora virtus.
Sic oneri fatoque renititur illa prementi,
Fortior aſſurgens, ſic & procera relinquit
Terras, & cœlo pulchrum caput inſerit alto:
Sic generi humano varios ſe expendit in uſus
Multiplexque bonum eſt, generoſo pectora vino
Lætificat, panem & bellaria blanda miniſtrat,
Et prodeſſe potens & delectare perita.

v. 491. Plutarchum vide Sympoſiacon 8. ubi rationes multas reddit, quamobrem alia alias certamina coronas habeant, palmas vero omnes communiter; quasdam earum verſu retuli.

v. 502. Strabo eſt autor, Babylonios carmen decantare ſolitos, quo trecentæ & ſexaginta utilitates Palmæ recenſentur, Xenoph. in expedit. Cyri; Dioſcor. Plin. Omnes qui de ea verba faciunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0335
DFG

Sic amat & virtus; vere atque decenter amare,
Non minimum eſt virtutis opus, Palmamque meretur.
Non magis arſura Evadne Capanea crematum
Nec magis Admetum dilexit prodiga caſti
Sanguinis Alceſte, quam fœmina Palma maritum
Deperit; inclinat blandos ad baſia ramos,
Secretosque petit (mos ille vetuſtus amantum)
Complexus, miſtisque avide radicibus hæret.
Cedunt arma togæ, victrix concedat Olivæ
Palma piæ; bello pacem præſtare fatetur

v. 506. Non ſine maribus gignere fœminas ſponte edito nemore confirmant: circaque ſingulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hiſpidum, afflatu viſuque ipſo, & pulvere etiam reliquas maritare. Hujus arbore exciſa viduas poſt ſterileſcere fœminas. Adeoque eſt Veneris intellectus, ut coitus etiam excogitatus ſit ab hominibus, ex maribus flore lanugine, interdum vero tantum pulvere inſperſo fœminis. Plin. lib. 13. 4. Multa de his mutuæ benevolentiæ ſignis tradunt multi; belle Claudian.

Vivunt in Venerem frondes animisque viciſſim
Fœlix arbor amat, (mallem hoc omiſiſſet)
Nutant ad mutua palmæ
Fœdera. ———

v. 508. Quæ ſe in rogum mariti conjecit.

v. 509. Quæ ut vitam mariti redimeret, ipſa ejus fato morituri vicem ſponte ſubiit.

v. 515. Contentionis inter Neptunum & Minervam de nomine Athenis imponendo fabula notiſſima eſt, ſed quid magis incongruum videri poteſt, quam equi bellici Neptunum, Olivæ bellicam Minervam autorem extitiſſe? Puto equidem hanc & plerasque veterum fabulas, non ut multi arbitrantur, ex myſteriis ſapientum concinnatas, ſed ex fortuitis vulgi rumoribus conſarcinatas fuiſſe. *Olea Europæa* LINN.

Paciferam geſtans Oleam Dea bellica Pallas:
Hac Dea magnificum memoratur adepta triumphum
Et numen nomenque ſuum doctiſſima doctæ
Impoſuiſſe urbi, ſuperum quæ gloria ſumma eſt,
Nam toto laxe regnantes æthere (tanta
Ambitio eſt) hominum regno de paupere certant,
Hic ſonitum agnoſcens, magni ſignumque Tridentis
Bellator ſe fundit equus de carcere terræ,
Ille novas efflare levatis naribus auras,
Et quaſſare jubis undantia colla decoris,
Hinnitusque ſui ſonitum exaudire ſuperbit,
Inſultatque pedes glomerans natalibus arvis,
Ignotas rerum facies mirasque figuras
Et circumſtantum intrepidus videt ora Deorum.
At juxta leviter tellus, percuſſa potenti
Cuſpide Palladia, rimas agit, emicat alte
Attollitque caput glaucum veneranda comarum
Canitie & pomis diteſcens pinguibus arbor.
Admirata novam plauſerunt numina plantam,
Et benedixerunt, ac tanti muneris autor
Præfertur Neptune tibi; fremuere ſonorum
Victus equus victusque Deus, ſed vimque minasque
Et ſtrepitum, ingenii vicit Dea, pacis & arbor.
Salve, Sancta Arbor, cujus lex ſuſcipit ipſa
Tanquam hominis curam & noxa defendit ab omni

v. 540. Tanta erat apud Athenienſes Oleæ dignitas, ut ſiquis aliquam plantam ejus vel ſubriperet, vel diſcinde-

Cui furor ipsius (tanta est reverentia) belli
Parcit, & eversis permittit crescere templis:
Non te impune ausus sæva violare securi
Impius irata nimium pietate repulsæ
Ultor Halirrhotius patriæ, Neptunia proles;
Ille sui infœlix cecidit vertigine teli,
Arbore secura, relevato quam petit ictu.
Spectavere Dei casum, erroremque cruentum
Sacrilegæ risere manus; jacet hostis Olivæ.
Sic pereant, opto, qui pacis amabile germen
Contemerare volunt, sed & hæc tam sacra quieti
Planta, jubet bello semper nos esse paratos,
Et sperare vices rerum motusque futuros:
Enses illa quidem gaudet spectare repostos,
Sed positos sapiens rubigine vindicat enses.
Illa etiam nudas juvenum celebrare palæstras,
Lene rudimentum pugnæ, perfundit opimo

ret, in judicium vocaretur, ac pro sacrilego condemnaretur, earumque culturæ gratia magistratus quidam instituti, cum Lacedæmones Athenienſem agrum ferro atque igne vastabant, Oleis tantum parcere solebant, tum veneratione plantæ, tum dirarum metu, quibus Athenienses omnes mortales devovebant, qui Oleam violarent; immo & olevantibus legem antiquissimam fuisse scribit Plin. Oleam ne stringito neque verberato; idem Oleam pollui fas esse negat, & vel propitiandis numinibus accendi ex ea altaria.

v. 543. Halirrhotius, Neptuni filius, Patrem suum à Minerva in hoc certamine victum indignatus, sacram Oleam exscindere voluisse dicitur, sed securim in seipsum impegisse, & ex vulnere occubuisse.

Corpora luctantum succo, foliisque coronat
Tempora vincentum. Nec pacem diligit illa
Mollitie morum luxuve inducta metuve,
Ex utero terræ non exit fortior infans:
Nil cultoris eget, nec simum alimentaque poscit,
Sed gratis fœcunda solo pingueſcere macro
Dignatur, cœlos habeat solesque benignos,
Et creſcet quocunque loco; truncum insere terræ
(Nec labor) abscissum, radices protinus ille
Non ignavus agit, seque arbos ipsa creabit.
Illa quidem lente & pedetentim surgit in auras,
Sed valida & multum fœcunda ætate virili,
Sed semper viridi & longum durante senecta,
Creſcentis tarde compensat damna juventæ.

v. 559. Oleæ honorem Romana Majestas magnum præbuit, turmas equitum id. Jul. ex ea coronando item minoribus triumphis ovantes. Athenæ quoque victores Olea coronant, Græci vero Oleastro Olympiæ. Plin. lib. 15. 4.

v. 561. *Contra non ulla est Oleis cultura*, &c. Virg. Georg. 2.

Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur e sicco radix Oleagina ligno. ib.

v. 568. *Virg.* dicit ———

Prolem tarde creſcentis Olivæ, &c. Hesiodus negavit Oleæ satorem fructum ex ea percepisse quenquam, tam tarda tunc res erat, Plin. at lib. 16. 44. Firmissimæ ad vivendum Oleæ, ut quas durare annis 200. inter autores conveniat. Et Olympiæ Oleaster ex quo primus Hercules coronatus est, & nunc custoditur religiose. Athenis quoque Olea durare traditur in certamine edita à Minerva. Vivacem Olivam. Virg. vocat.

v. 572. Oleo noluit parci natura, fecitque ex necessitate promiscuum & vulgo. Plin.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0339
DFG

Ah bene conſtituit Naturæ provida cura,
Utilis ut mundo foret & vitalis Olivi
Proventus facilis vulgoque parabilis uſus.
Ille liquor fœlix aſſumptus & intus & extra,
Dat formam & robur membris habilemque vigorem,
Levigat ille vias, rivo polit aſpera pingui,
Vulnera pacifico componit hiantia ſucco:
Ille dapem agreſtum miſeratus condit egenam
Et præſtare epulis regum facit additus herbam;
Siſtit pictorum fugitivos ille colores,
Et brevibus tabulis ſtatuarum tempora donat;
Ille ſuæ ſtudiis accommodat apta Minervæ
Lumina nocturnis; & vitam ac ſecula ſperent,
Non niſi Palladiam redolentes lampada chartæ.
O utinam noſtræ!
Jure igitur cunctos meritoque ſupernatat ille,
Conjugia (ut par eſt) ignobiliora recuſans,
Perfectus, plenusque ſui, caſtiſſimus humor.
Jure ſacerdotes caſto, regesque potenti,
Et docto vates ſacrans perfudit Olivo
Optima ſacrorum quondam Judæa magiſtra.

v. 577. In patria mea Weſtphalia uſitatiſſimum eſt vulneratis quotidie exhibere oleum olivarum cum cereviſia calida, quo adeo large utuntur ut ſudor oleum redoleat. Schrod. Oleum vulnerarium eſt. Ib.

Talis

Talis erat, tales quaſſavit vertice fructus
Diſcedens Olea, ac ramum decerpſit eunti
Læta triumphalem, & cinxit ſua tempora Pallas.
Succeſſere aliæ gentes; Polyoſtea primum,
Meſpilus, & fructum putrem ambitioſa coronat.
Pulchra venit Divæ Myrtus gratiſſima pulchræ;
Adventantem imber dulcis prænunciat auræ,
Et blando ſuperum nares titillat odore.
Ornet ſanguineos Laurus Phœbæa triumphos,
Myrtus amat faciles paucique cruoris honores,
Contenta eſt molles comitari Myrtus ovantes.
Quisquis amat, Paphia cingat ſua tempora Myrto.
Cingat, Io, fidenter, ovantisque occupet omen.
Gentis Hyperphlææ poſt hanc Malusque Pyrusque

v. 597. *Medlar.* Angl. foliaceis quibusdam quaſi fimbriis caput pomi in coronæ modum redimitur. *Meſpilus germanica* LINN.

v. 598. *Formoſæ Mirtus Veneri* ——— *Virg.*
—— *Solido Paphiæ de robore Myrtus.*
Id. & amatores in elyſio,
——— *Myrtea circum*
Salva tegit ———
Sed & Venus Murtia, à Myrto cognominata creditur. Bellicis quoque rebus inſervit (Myrtus) triumphansque de Sabinis Poſtſ. Tubertus in conſulatu (qui primus omnium ovans urbem ingreſſus eſt, quoniam rem leviter ſine cruore geſſerat) Myrto Veneris Victricis coronatus inceſſit. Optabilemque arborem etiam hoſtibus fecit. Hæc poſtea ovantium fuit corona. Plin. lib. 15. 29. *Myrtus communis* LINN.

v. 606. Cur Empedocles dixerit ὑπερφλοια μῆλα, ambigit Plutarchus, cum philoſophus non caſu epitheta appo-

Illustres venere domus, numeroque potentes.
Non illas aspernatur vel Citria regum
Mensa superborum, non aspernantur & illæ
Vel tripedes inopum mensas, & terrea vasa.
Subsidium vitæ, luxusque paratus egenæ,
Et non ullius desertrix copia mensis.
Hinc sibi vina parant gentes quas igne remotus
Languidiore fovet non vitibus æquus Apollo.
Principis illa quidem munusque vicemque liquoris
Non indigna ferunt; sic curas illa metusque
Pauperiemque domant, sic lætitiisque jocisque
Speque nova, & liquido perfundunt lumine venas,
Et pulchrum accendunt Veneris Martisque furorem.
Hoc contenta mero lætum Normannia degit,
Vicinasque tuens Gallorum haud invidet uvas.
Agmine discedunt longo Malique Pyrique
Omnigenæ, sylvam credas migrare vetustam,
Tantus erat populus: Pomona abeuntibus illis
Annuit arridens; sed linguam sannio Bacchus
Exerit, auriculas digitis imitatus aselli.

nat. Grammatici dicunt ob vigorem, & esse quosdam de Græcis qui Phœo Baccho sacrificent; quoniam ex omnibus fructibus in malo maxime vigor & viror permanet: vel cum alii fructus foris cortice ambiantur (is enim Φλοιὸς est) i. e. tegmen in superficie habeant, solus Mali cortex intus est glutinosa & pinguis tunica, qua semen continetur; id vero quod ejus foris est circa eam circumpositum, ὑπερφλοιον, i. e. extra corticem situm. B. P. *Pyrus communis* & *Pyrus Malus* LINN.

Se negat his comitem miſcere Cydonia Malus,
Sola venit; magnos populari indulſit honores
Jupiter ipſe ſuæ; grato perfudit odore,
Depinxitque auro & molli lanugine texit.
Hæc bene cocta Jovi dantes conditaque melle
Vagitum infantis pacantia poma protervi,
Cretenſes memorant Nymphas Melimelą vocaſſe;
Nunc etiam Melimelorum (ſi credere fas eſt)
Non pudet Ambroſia ſaturum meminiſſe tonantem.
Enumerare omnes longum eſt; tota agmina claudunt
Multa Gigartophoræ celeberrima nomina gentis
Nobilitate potentis, & horto ditis & agro.

v. 627. Mala quæ vocamus Cotonea, & Græci Cydonia, ex Creta inſ. advecta. Plin. Plura eorum genera, Chryſomela, Struthia, Plin. Addit Colum. Muſtea. Virg. appellat cana Mala,

Ipſe ego cana legam tenera lanugine Mala.

Vera Cydonia Dioſcor. parva, rotunda, odorata, Pommes Coin. Ex quibus Genuenſes ſuum delicatiſſimum Cydoniatum parant, Struthia vero magna, ſed minus utilia, vulgo Poires Coin. Dalech. utrumque Angl. Quince. Melimela, quidam Muſtea interpretantur, eademque eſſe, quæ, D. Johannis Mala vocantur; i. e. *Junetins* Angl. alii aliter. Prædulcia fuiſſe conſtat.

Infanti Melimela dato ———————————

Mart; Qui & melle condita Cydonia, Melimela vocat in Zeniis.

Si tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle
Ponentur, dicas hæc Melimela licet.

Pyrus Cydonia LINN.

v. 637. Ὀινάστον, Vinaceum, i. e. minutum oſſiculum in acino uvæ proprie, ſed & aliis ejusmodi granulis attribuitur.

Berberin & Criſpam ſpinis horrentibus Uvam,
Et Ribem exiguis Vitem ſimulare racemis
Gaudentem, Idæasque Rubos, Hybernaque Fraga,
Plebeiasque domus alias mihi omittere fas ſit.
Non ita fas Morum, & Ficum, divinaque Vitis
Germina, militiæ veteris fortiſſima Poma;
Et nunc ſpes tanti certaminis ultima reſtant.
Se caute ſapiens infert ac provida Morus,
Explorat cœlos, & vertice ſuſpicit alto
Quod teneat ſignum Phœbus cœleſto, fideque
Præteritne bona, nec poſſit bruma reverti,
Non fructum aut frondes dubio expoſitura calori.

v. 639. I. e. *Barberries*, *Goosberries*, *Currants*, *Raſberries*. *Berberis vulgaris* LINN. *Ribes Uva criſpa* LINN.

v. 640. *Ribes rubrum* LINN.

v. 641. Idæasque Rubos. *Rubus Idæus* LINN.

Hybernaque Fraga. Fructus Arbuti, Angl. *Strawberry-Tree*, i. e, arbor fraga ferens. Aliud corpus eſt terreſtribus Fragis, aliud congeneri eorum Unedoni, quod ſolum pomum ſimile fructui terræ gignitur. Arbor ipſa fruticoſa, fructus anno matureſcit, pariter floret ſubnaſcens & prior colligitur. Mas ſit, an fœmina ſterilis, inter autores non convenit. Pomum inhonorum, ut cui nomen ex argumento ſit unum tantum edendi, duobus tamen hoc nominibus appellant græci, Comarum, & Memæcylum, quo apparet totidem eſſe genera & apud nos. Alio nomine Arbutus vocatur. Plin. 15. 24. *Arbutus Unedo* LINN.

v. 646. Serotino quædam germinatu florent, maturantque celeriter, ſicut morus, quæ noviſſima urbanarum, germinat, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum: Sed cum cœpit, in tantum univerſa germinatio erumpit, ut una nocte peragat etiam cum ſtrepitu. Plin. 16. 25. *Morus nigra* LINN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0344
DFG

Ergo diu ſuccum tenet in ſtatione paratum
Atque exire vetat, niſi teſſera detur adulti
Moribus incertis anni non credula verni.
Sed reparat tandem geminata induſtria tardæ
Damna moræ; ſignoque dato, ruit omnibus acer
Nodorum portis, frangitque repagula ſuccus.
Dat ſtrepitum erumpens, magno turbante tumultu,
Gemmarum ſtudio properantum denſa caterva:
Nec duo prætereunt menſes, & purpura Morum
Nobilis infecit dibaphum, non ſanguine vili
Purpura concharum, ſed amantum tincta duorum,
Eſt precium & foliis tamen ipſis majus, & uſus
Nobilior fructu; bene contemplare colorem,
Materiam & formam folii, vulgaria dices
Omnia, ſed nec tu formæ nec crede colori;
Ornamenta vides regalis maxima luxus,
Veſtimenta vides turbæ molliſſima mollis,
His foliis induta ferocit fœmina dives.
Nativoque minus fidit vel pulchra decori,
Has robuſta terunt umbellas membra virorum,
Laſcivitque hominum ridenda ſuperbia geſtans
Vermiculo (miſerum!) contextas paupere frondes.
Talis erat Morus; ſed quis miracula Fici
Dicere, vel genera ipſius vel nomina poſſit?
Innumerasque poteſtates variosque triumphos?

v. 661. Pyrami & Thisbes. Fab. vulgatiſſ.

Salve magna Ceres, tantæ ſacra arboris autor!
Tu frugum legumque datrix, te vindice, vita
Exuit & victum & mores humana ferinos.
Et pacem panemque habuit; quid quærimus ultra?
Hoc ſatiare famem didicit natura modeſtam.
Plus tamen indulges, & gratificata palato,
Mellea lactantis tribuiſti fercula pomi.
Pauperibus faciles epulas, nec ſuavius illis
Menſa tamen quicquam damnoſa voravit Apici.
Hac Phytalum donaſſe Ceres primum arbore fertur
Hoſpita grata pium, & frumentis poma ſcatere
Innumeris juſſit, teſtata in munere Numen.
Nec tamen huic plantæ frugalis Diva decorem
Ullius adjunxit floris, riſumve ſevera
Permiſit vernum: laſciva hæc gaudia, dixit,
Gloriolæque habeant vexilla fugacia vanæ;
Germina pulvillis horti recubantia pictis,
Quæ ſe proſtituunt oculis meretricia cunctis,
Nec metuere manus hominum naresque ſalaces.
Nil opus his nugis; fructu ſatis arbor honeſta eſt

v. 676. Pauſanias in Attica primam ficum editum tradit prope Cephyſſum, ubi Phytalus, Cererem hoſpitio benigne excipiens, hoſpitalitatis præmium Ficum arborem à Dea dono accepit.

Ἔνθα δὲ ἀναξ ἥρως Φύταλος ποτὲ δέξατο σεμνὴν
Δημήτερα ὅτε πρῶτος ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
Ἣν ἱερὰν συκὴν θυηλῶν γένος ἐξονομάζει
Ἐξ οὗ δὴ τιμὰς Φυτάλου γένος ἔχεν ἀγήρως.

Ficus Carica LINN.

v. 686. Maturis frumenta inſunt. Plin.

Ista suo, cultuque viget matrona modesto;
Fertilitatem amat; & solido de stipite pomum
Trudit agens studio sobolis festina creandæ
Grossorum miseros, heu, passa frequenter abortus;
Lacte tumet, munus gestit nutricis obire.
Quis tibi, Fice, neget gratæ præconia vocis,
Quam labefactatam recreas, totumque recludis
Prætereuntis iter? scabrosa atque aspera lævas,
Obstructasque vias aperis spirabilis auræ,
Pulmonumque reples ventis vitalibus utres.
Nec vocem emendas frustra, reserata sed auris
Per te porta patet; venientemque accipit intro.
Ulcera tu purgas sentina sordida putri,
Emollisque feros, fomentum mite; tumores.
Gangrænam & Lepram, serpentum maxima monstra,
Et Lichena domas, & luctificum Cacoethes,
Panosque, Strumasque, gravesque Parotidas, & quæ
Deformant nitidum Myrmecia corporis æquor.
Te Podagræ fugiunt, tibi aquosus detumet Hydrops,
Singula quid referam? tu cunctis magna venenis

v. 699. In Ficis mirabiles sunt abortus, qui nunquam matureſcunt, Id.

v. 701. De his atque aliis Fici virtutibus, vide Plin. fuse tractantem, lib. 23. 7.

v. 711. Lichen, Impetigo, (*Ringworm*, *Tetter*) Cacoethes, ulcus malignum. Panus; tumor, Φῦμα, in quo quiddam pustulæ inest cum dolore & distentione vehementi. Strumæ (*Kings Evill*) Scrophulæ. Parotis, abscessus genus quod sub auribus oriri solet. Myrmecia verrucæ formicarum more pungentes.

Bellatrix (comites Rutam modo nacta Nucemque)
Non metuis terræ concurrere cominus Afræ,
Non metuis toto graſſantes aëre morbos
Siſtere, & aſtrorum cæcis te opponere telis.
Unde ea vis animæ viridis? quæ tanta poteſtas?
Non ipſum metuit Ficus ſecura tonantem.
Fulguris illa vias horrenda luce coruſcas,
Ejectasque Jovi ſacras in turbine ſylvas,
Succuſſos montes, nutantia templa Deorum
Aſpicit, attonitique ſonora pericula mundi,
Intrepida, & nulla motis formidine ramis.
Euhoe Bacche! venit tandem dulciſſima Vitis!
Euhoe Bacche venit! venit ebria, euhoe Bacche!
Stare nequit, ſuſtentat eam robuſtior, ecce,
Labentemque tenet conjux! euge ebria Vitis!
Ut te amo, complectorque libens, cariſſima planta!
Da mihi te plenam ſucci, uberibusque tumentem
Nectareis; da te facilem; non oſcula tantum
Sumere, nec ſuprema ſat eſt mihi tingere labra,
Interius, totoque frui te corpore fas ſit,
Et penetrem fœlix fundum urinator ad imum,
Et me mellifluo madida obruat amne voluptas.

v. 6. Plutarchus inter alia admiranda Fici, nempe cicurari tauros indomitos ei alligatos, tenereſcere carnes animalium quæ in ea pependerint, &c. addit, neque de cœlo unquam tactam eſſe Ficum, & inepti mendacii rationem reddit ineptiorem, amaritudini hoc acceptum referens, cujusmodi res non attingunt, ſcilicet fulmina, ut neque Vitulum marinum, neque Hyænam.

v. 12. *Vitis vinifera* LINN.

Quis Deus, o, quis me pronepotem nobilis Orphei
(Degenerem quamvis inopemque, heu, laudis avitæ,
Sed redimitum Hedera tamen, & non vana furentem)
Collibus Ismariis sistat? quis per juga raptet
Me Campana vagum, fœlix ubi vinea fulget
Sole supra, flammisque infra bis cocta Vesevi?
Aut ubi cœlesti Canaria celsa superbit,
Aut ubi Belnensi Burgundia purpurat uva?

v. 26. Ism. Mons Thraciæ quem Orpheus incoluit.
Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea.
Vinetis olim celebris, juvat Ismara Baccho
Conserere ——————— Virg.
Homer. quoque de Ismaro loquens Odyss. 9. addit.
Ἴνθα δὲ πολλὸν μὲν μέθυ πίνετο.

v. 27. Hinc fœlix illa Campania est: ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis succo per omnes terras inclyto, atque (ut veteres dixere) fuminum Liberi Patris cum Cerere certamen: hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri, his junguntur Falerni, Caleni, deinde consurgunt Massici, Gaurani, Surrentinique montes. Plin. lib. 3. 5. Principatus olim Ammineis vitibus (quod id genus fuerit hodie, puto, ignorari) quarum vina firmissima appellat. Virg. Eos in Vesuvio monte crescere (vel Vesevo, nam utroque modo scribitur) Surrentinisque collibus testis est Plin. lib. 14. 2. Nos ex notis quas affert Colum. dicimus Amineum vinum esse nostrum vulgare Græcum, nam nobilissimæ notæ est, diutiusque in vetustatem asservatur, ut etiam centum annorum reperiatur ——— Ejus vites Vesuvium montem convestiunt rependentem fructu illata damna, ut inveniat apud posteros gratiam cinere, & conflagratis saxis, & calore suo vino vim tribuit. B. P.

v. 30. Vin de Beaune, nobilissimum Burgundiæ; Perdicis oculi colore notabile.

His decet, o, temere vatem recubare ſub umbris,
His ſaltare jugis atque inſanire decorum,
Turgentem venasque Deo, mentemque animumque
Qui celebret digne Vitem, Numenque quod ore
Ebibit attonitus, divina voce refundat.
O arbor merito dulci de nomine vitæ
Nomen habens! o qui te ornant, pulcherrima, fructus?
Multus amor, multum ingenium, facundia multa,
Multa etiam virtus animi, & mavortius ardor,
Lætitiæque, jocique, & ſpes, & gaudia mille:
His arbor fœcunda tumes, cunctosque beatæ
Purpureos vitæ portas albosque racemos.
Omnia fortunæ ſcelerata venena malignæ
(Non tot alit, tellus infamis, toxica Pontus,
Serpentum tanta non ſibilat Africa turba)
Diffugiunt perſtricta tui cœleſtibus armis
Antidoti; redeunt fateor, vicibusque recurſant,
Te tamen abſenti, & tempus captantia ſiccum;
Te relevante hominem non ſentit triſtia ferri
Pondera captivus, non paupertatis egenus;
Te comitante exul nemo eſt, te nemo repulſam
Suffragante tulit; populo nolente creatur
Conſul, habetque ſuos quales Caninius olim

v. 53. Pride Cal. Januar. repentina conſulis morte ceſſantem honorem in paucas horas petenti dedit. Sueton. in Jul. Cæſ. i. e. Caninio, in quem conſulatum vide quæ jocatur Cic. in epiſt. ad Curium.

Horarum faſtos; tu principis inſtar amati,
Delicias olim mundi quem Roma vocavit,
Nullum hominem, jucunda, ſoles dimittere triſtem.
Quid præſtare poteſt majus ſapientia ſumma,
Diſcipulosque ſuos cum Divis porticus æquans,
Quam tenebras, nimbos, & nubila pellere mentis,
Atque aperire diem vultuque animoque ſerenum?
Ebrius & ſapiens rex eſt, atque omnia ſolus;
O magnus Cato qui regnum poſſedit utrumque!
Si brevia hæc quisquam & fallacia gaudia dicet
Confiteor; ſed & o hominum quæ talia non ſunt
Gaudia? quid brevius vita aut fallacius ipſa?
Utere dum licet, o, vinique liquore beato
Vita levis ſubvecta ſecundo defluat amne.
Vitis abit; veteris plauſerunt Numina mundi
Omnia, purpureosque manu carpſere racemos.
E quibus inſignem ludi non parcus Iacchus
Compactum innumeris acinorum ex utribus unum,
Porrigit Omelochile tibi; quin ebibe, ſodes,
Si ſapis hunc ſuccum, dixit, non aptior alter
Cannibalum ſtomachos crudos tergere Deorum.
Illa parum græco Bacchi aſſuefactus aceto
Abſurdum fremit iratus, pugnoque dediſſet

v. 54. Tit. Veſpaſianus, amor & deliciæ generis humani appellatus, cujus dictum memorabile, non oportere quenquam à ſermone principis triſtem diſcedere. Suet. & patrem ejus Veſpaſianum miro epitheto ſalutat Plin. jucundiſſime imperator.

Barbarus intento reſponſum, credo, jocanti,
Ni vires nimium notas, animosque timeret
Numinis Europæi; ergo in diſcrimina pomos
Sæva minus prodire ſuas jubet; ordine pulchro
Stant omnes, varios jactantes vertice fructus,
Atque ineunt pictis certamen Amazones armis.
Sed prima in campo pomis inhonora ſine ullis
Coca ſtetit, tenui nitens arbuſcula ligno,
Subridensque Venus; næ gentis America pubes
Horticolæ, ad bellum de fertilitatis honore
Elegere parum fœliciter, inquit, euntes
Eunuchum nanumque ducem, effudere cachinnos
Noſtrates Superi, at mater Pachamama procacem
Increpuit Divam, & Cocam defendit amatam.
O quantum, Cytherea, erras? tibi nempe ſalaci
Fertilitas obſcœna animantum cognita ſola eſt,
Hic mala tu judex; mea regna carentia ſexu
Sunt peregrina tibi; cunctarum quotque ubique
Terra parit fœcunda, hæc fœcundiſſima vivit
Semper, & innumeris turgeſcit fructibus arbor.
Quid ridetis adhuc? quam ſit frondoſa videte,
Quot frondes tot poma gerit; nec frondibus iſtis
Utilitate ulli dubitabunt cedere fructus.
Illæ Pacchamaci Virocochæ munere miro
(Quem juga commovit ſubitura immitia quondam
Et nimiis opibus pauperrima terra futura)
Ore parum manſæ, ſuccoque in pectora miſſo,
Continuo, longæque famis, longique laboris

Languores abigunt ægros, membrisque vigorem
Reſtituunt, animumque levant ſub faſce labantem
Corporis infirmi, quo vos, o Bacche Ceresque,
Numina bina, modo. Tres iſta viatica portans,
Bis ternos aliquando dies durabit abunde
Paſtus, & horribiles curret Quitoita per Andes.
Horribiles Andes, poſitam inter nubila ſumma
Ventorum patriam, pluviæque, hyemisque, tuamque
Fortis Coca ſimul, quam bellica Diva puſillam
Deridet Cytherea ducem; nec te, inclyta Coca,
Suſtentas ipſam minus admiranda profecto
Quam ſervas homines; hic te mercator adire,
Hinc petere haud metuit; vel centum mille quotannis
Vicugnos foliis onerat, Pacosque gementes,
Non ingrata ferens miſero commercia mundo.
Sic ait, innumeris mater Pachamama figuris
Picta cutim, nutuque Hoviam procedere juſſit,
Portantem lapidoſa Hoviam contemtaque pruna,
Sed parili, quamvis aliter, virtute potentem;
Conciliare leves arcanis viribus umbræ
Et dulces condire nova dulcedine ſomnos
Creditur; ut tantum hac dormire ſub arbore poſſit,
Ire viam gaudet longam miſer incola terræ
Divitis, incumbitque operi, & ſe ſponte fatigat,
Ut tanta recreetur ope, placidamque capeſcat
Hic recubans, quanquam hiſpano dominante, quietem.
At Platano Eoæ falſo cognominis arbor,

v. 131. *Platanus occidentalis* LINN.

(Braſiliæ Bacoua eſt) foliorum ingentia vela
Expandit, quorum unius dormire ſub umbra,
Et cantare poteſt paſtor ſecurus ab æſtu;
Sub foliisque jacent viridantibus aurea mala
Conglomerata uno bis centum ſæpe racemo,
Carpuntur toto, toto naſcuntur in anno;
Omnia damna latent, ſemperque prioribus hæres,
Flavorum capitum formoſa repullulat hydra:
Nec legere illa manu vacat. avelluntur ab ipſis
Pondere lucenti nutantia brachia truncis,
Namque uno avulſo termes mox aureus alter
Proſilit, atque opibus redituris parcere vanum eſt.
Tum vero in medium, ſed neſcio quomodo, Ficus
Indica prorepſit; noſtri novitate figuræ
Obſtupuere Dei, clamavit & unus eorum
(Heu nimium incautus, nam falli Numina turpe eſt)
Hoc opus eſt artis; tentamur fraude planorum,
Admovitque manum plantæ, riſere viciſſim
Barbara turba Deum, nec compreſſere cachinnos.
Admiranda ſtetit membrorum & corporis expers,
E foliis tantum compacta & fructibus arbor,
Et foliis foliorum, & quæ naſcuntur ab illis.
Prodigium! & viridis ſpecies monſtroſa cometæ!
Congenerem Tunam miſit Tlaſcalla ſuperba,
Talia cui frondis ſuperat miracula fructus,

v. 145. *Cactus Opuntia* LINN.
v. 155. *Cactus Cochinillifer* LINN.

Poma illi Viracocha dedit viventia ſoli,
Coccineo regum precioſa animalcula luxu,
Ipſe etiam Hiſpanæ dominator maximus oræ
Captivæ ſpoliis Cochenillæ gaudet opimis
Indutus, victi dominator maximus orbis,
Atque utinam hoc ſolo devicti ſanguine tinctus.
Ignotum Europæ pomum, notiſſima poma
Oſtentavit, ovans tanta Guattimala cive,
Nam quis amygdalinas Cacaos, quis pocula panis
Sobria, quis potum Chocolatæ neſcit edulem?
Dat vegetum membris habitum, floremque venuſtæ
Purpureum majeſtatis, dat dulcia cordi
Lumina lætitiæ, nec forte potentior alter
Lene ciere viros, Veneremque accendere ſuccus.
Non tantum præſtare homini, ſi tota daretur,
Vaſta poteſt arbor, ſeu ſylva argentea, quæ ſe
Sub magno expandit multum ramoſa Potoſo:
Nec tantum rutilat fulvis ubi Cartama ſaxis,
Marmoreis late fruticans in rupibus aurum.
Non igitur ſapiens tam divitis incola mundi
Ex auro quondam argentove numiſmata cudit,
Nec tribuit vitæ commercia tota metallo
Quod vitæ tam ſæpe nocens, & inutile ſemper.
Hæc bona Nux nummus populis erat unicus illis,
Cenſus erat magnus, non tum ſeſtertia mille
Sed numerare domi Cacaorum millia poſſe,
Una arbor, parvi vectigal nobile fundi

v. 165. *Theobroma Cacao* LINN.

Et pascit dominos, & vestit, & ornat, & armat;
Hoc emitur penus omnis, & omne utensile nummo,
Et si magna cibum penuria denegat omnem,
Hic cibus, hic ipse est. O vera pecunia! at inter
Divitias mundi (pudet, ah!) nostratis ineptas
Possumus & dites simul esse, fameque perire.
Quam tu fausta, tuæ si tantum Hispanus avarus
Gentis opes, & non telluris, America, nosset!
Nec minus & Veneri (Venerem te Mexica sævam
Tlazoterella colit) bene olenti fronde decora
Aguacata favet, fructusque effictus in ovum
Candenti dulcis succi pinguedine turgens
Imperfecta refert udæ primordia vitæ.
Omnia si dominus Cacais edit, omnia pene
Possidet in Metla, nec se facit illa monetam.
Nec mercaturam exercet; merx omnis in ipsa est.
Nec pueris fert illa nuces, nec dulcia poma
Fœmineo parit oblectamina vana palato:
Tota arbor suus est fructus; folium omne tenellum
Manditur, & victum in promptu dat suave salubrem;
Quod simul ac vires ætate acquirit adulta
Texitur in vestes; neve instrumenta deessent
Artifici, summo stat spina cacumine frondis
Et fit acus sartori, acus & sua fila cohærent.
Uritur immodico vicini lumine solis

v. 198. Vid. MARCGRAVII *Histor. nat. Brasil.* p. 88. 89.

Terra

Terra ſiti damnata, hic vivus cortice ſciſſo
Fons liquidæ prorumpit aquæ, quæ leniter arctis
Percolata viis, longo Mæandria flexu
Fibrarum, nulloque tamen vitiata colore,
Jucundum virgo trahit intemerata ſaporem.
Hoc ſatis eſt hominum naturæ, ſed tibi non eſt
Prodiga Metla ſatis. Quæruntur dulcia? mellis
Inſtar habes; acris delectat guſtus? acetum es.
Parva loquor, vinum es, generoſo pectora ſucco
Lætificas, quacunque ruis, curamque metumque
Pauperiemque gravem pellens, velut aurifer amnis,
Influis in venas; per te miſerabilis Indus
Dives adhuc, liberque ſibi, dominusque videtur,
Et rege Hiſpano eſt aliquando beatior ipſo.
Si dubitat quisquam, nec poſſit credere vinum
Quam modo vidit aquam, pleno ſe proluat hauſtu:
(Nam quis aquæ parcat?) factam de ſimplice Nympha
Sentiet eſſe deam, & vim numinis ipſe probabit.
Delicias fundens tales, medicamina ſudat.
Cortice diſtillant unguenta potentia cocto,
Et precium eſt lacrymis, quantum non ulla mereri
Gemma poteſt, oculo pulchræ nec blanda puellæ
Gutta tremens, cum ſe pavitantem dedit amanti:
Non illis rabidi præſentior ulla veneni
Antidotus, medicant medicatæ cuſpidis ictum,
Et gemina exarmant armatas morte ſagittas.
Omnia pœne dediſſe parum eſt; quid, Metla, ſuperbis?

Tam variis dotata bonis, tot munera fundens
Vinceris ipsa tamen; dat scilicet omnia Coccus,
Indorum Palma omniparens, qua sospite nunquam
(Non mihi certe unquam) dicetur America pauper.
Tollat Iberus opes, tellurem evisceret ipsam;
Si Coccos solas cum libertate relinquat
Invidiosus erit miserabilis Indus Ibero.
Quis nisi mentis inops, & Diis invisus avarus
Ulteriora petat? nam quid negat utile Coccus?
Vestimenta, domos, panem, bellaria, vinum,
Et mensas, lectosque, & vasa, & pocula magna,
Et lactis mollem, & stomachum recreantis aceti,
Atque olei pinguem tribuens mellisque liquorem?
Nec tantum in terris, dominatur & æquore Coccus,
Fit ratis ex illa, fit malus, vela, rudentes,
Omniaque instrumenta ratis, tandemque repletur
Mercibus ipsa suis; vectores excipe solos,
Cætera sunt Cocci; neve excepisse necesse est
Vectores, solo nutritos munere Cocci.
Barbarica horrendum fremuerunt murmure læto
Et non civili plausserunt Numina gestu.
Nostra sed attonito se lumine circumspectant.
Invidisse putem, nisi quod non possit inesse
Invidia ulla Deis; saltem sic credere verum est
Nos homines; & quicquid agant, fiam ipse Deorum
Candidus interpres; sed America natio Divum
(Quanquam militiæ, vix pars centesima tantæ

y. 237. *Cocos nucifera* LINN.

Explicuiſſet adhuc campo ſua ſigna patenti)
Protinus exultans, & ſemper ad omnia præceps,
Judicium Divæ clamore expoſcere magno.
Jamque in concilii medio Pomona locata,
Multa putans ſecum prudenti corde parabat
Dicere, (de lana neque enim lis illa Caprina,
Sed mundorum agitur celeberrima cauſa duorum,
Patronisque Deis) dixiſſetque amplius, aut non
Forte liquere ſibi; mihi ſi penetrare Deorum
Fas homini mentem; ſed res inopina leviſque
Judicium horribili turbat ſolenne tumultu;
Tempore nam toto tam nobilis arboriluſtri,
Et bibulus Lenæus, & Omelochilus utramque,
Si quicquam alterutri viſum dictumve placebat
Vina propinabant ultro citroque protervi
Prælia miſcentes; hic Metlis, Vitibus ille,
Neve pitiſſabant modico libamine læti,
Magna ſed inverſo ſiccabant pocula fundo,
Euhoe, clamantes; at procedente vapore
In caput, ac fruſtra divinum utriusque cerebrum
Mutua ridentes convitia fundere primo,
Tum vero jurare, execrarique viciſſim;
Et tandem nimio correptus numine Metlæ
Omelachilus atrox (timor & reverentia Divi
Exciderat Græci) duram jacit impete Coccum
Immani, & frontem Bromio ferit improbus ipſam;

Sed vina excutiens tantum semihausta bibenti
Innocuum sedit media inter cornua pomum.
Non tulit hoc Bacchus fervens iraque meroque,
Agrestisque Dei deformia adegit in ora,
Turbine fulmineo gemmis signisque rigentem,
Quem tenuit cratera manu; brutum rudit ille.
Oi Camacalli, Camatli, Nataslits, Intelolocti,
Vociferans patrio sermone; at cætera turba,
Audito clamore, ululat, mugitque, rugitque
Dentibus infrendens; circumfluus undique pontus
Ad sonitum resilit, fundo tremit insula ab imo.
Proximus huic fumos & nubila fœda Tabaci
Ore bibens, atroque eructans jugiter ore,
Vitziliputlus edax (monstro crudelior omni
Vitziliputlus, & humanæ sacer helluo carnis)
Fictile adhuc Peto plenum procul abjicit amens;
Et raptim tenditque arcum, promitque sagittas,
Arma, arma, ingeminans; nec segnius arripit arma
Tescalipuca ferox, duce nil humanior ipso,
Totaque barbarici legio arripit horrida cœli.
Per diversa Deæ fugiunt, pavidæque remota
Post arbusta latent; Venus olim saucia bello
Humano, miseris nil dat sperare Deabus
Divorum in pugna; Pallas tamen una remansit,
Paciferumque suæ ramum projecit Olivæ.
Mascula turba Deum ruit in certamina sancta
Forti animo, planeque viriliter arma capescunt:
Forsan & illa dies cœlestibus atra fuisset,

Forsitan haud paucos longum mutilasset in ævum,
(Vel Superum bello Superos nam posse necari
Credere non fas est) nisi tempore protinus illo
Ipse stratagema innocuum reperisset Apollo:
Non frustra Deus ingenii, medicusque malorum;
Nam, licet arcitenens, arcum non ille sonantem
Dicitur intendisse, sonos magis ille potentes
Noverat, arripuitque lyram, numerosque cievit,
Aurea veloci percurrens pectine fila:
Quales (crediderim) Divum edidit auribus olim
Concentus mundi facer, & dulcissimus ordo,
Cum lites elementorum natura diremit,
Dispositque modis divinitus omnia justis.
Illi (crediderim) compescere bella furentum
Centaurorum, illi decimos componere fluctus;
Illi incurrentum valuissent Hurricanorum
Sistere vim rapidam; late ligat omnia circum
Læta quies, atque auris avaræ muta voluptas.
Vitziliputlus atrox ut sensibus hausit amænum
Attonitis sonitum, nervo excidit apta sagitta,
Atque Coatlensis læva delabitur arcus;
Ipse manus levat admirans, hiat ore profundo,
Excutit & capiti variæ diademata plumæ
Auribus arrectis subito; jam maximus aram
Sustulerat magnam Viracocha sub arbore sacra
Pomonæque sacram, quam sævi fulminis instar
Jam missurus erat (jaculator fulminis ingens
Ipse domi cœloque suo) at modulamine primo

Omnipotente Dei, & magica dulcedine tactus,
Depoſuit ſaxum, ſeditque intentus in ipſo
Pacifici auditor cantus, atque immemor iræ,
Non centena unquam magis hoſtia mitigat illum.
Te quoque dedecoris tanti, oblitumque doloris
Omelochile miſer, mulctato tam mule vultu
Subriſiſſe ferunt, mox & riſiſſe libenter:
Nam (proh mira fides, & vis divina melorum!)
Ipſe repercuſſus modulis cœleſtibus aer
Toto erumpentem compeſcuit ore cruorem,
Muſicaque impoſuit numerorum vincula victo:
Ipſæ ſponte ſua dirupti vulneris oræ
Antiqua coiere fide, harmoniamque ſonoram
Cunctarum ſequitur fœlix concordia rerum:
Ergo ſuæ lætus ſucceſſu & viribus artis,
Captorum enormes geſtus ac gaudia Divum
Ridet, & urget opus, ſuperatisque inſtat Apollo,
Vocem addens blandis divinam & carmina nervis.
Carmen erat, mundum per ſecula longa latentem
Ut ſacra herous concepit mente Columbus.
O fœlix! mundique oculo mihi cognita ſoli
Regna videns animo! noſtrosque emenſe labores!
Pellæi juvenis ſuperans vaſtiſſima vota,
Inventorque orbis, quem tantum optaverat Ille.
Non te noſtrorum decepit fabula vatum,
A quibus Heſperium deſcendere laſſus in æquor
(Laſſus ego?) inſimulor; ſenſiſti Numine noſtro
Digna mugis, mentem ipſe dabam; tibi, magne Columbe:

Tunc aderam, & ſtimulos agitabam in pectore ſanctos.
Non te continuit pro deſidis Herculis olim
Meta, nec intacti reverentia ſacra profundi,
Nec te naturæ caligo horrenda latentis.
Tres audax menſes mundo poſt terga relicto
Jactaris pelago immenſo, nova ſuſpicis aſtra,
Ignotos fluctus, ventosque & monſtra marina
Ignotosque Deos terres interritus ipſe,
Tu ſolus; comitum trepidant ſed inertia corda,
Et reditum indecorem poſcunt infanda minantes.
Cum miſeris procul apparet lætiſſimus ignis
De ſpecula, Guanahana, tua, & plaudentibus orbem
Luce novum fœlici aperit; clamore ſalutant
Immodico ſignum, complectunturque Columbum.
Hac patuit porta nunc pervius aurifer orbis,
Iſle dedit parvus parvumque accenſus ad uſum
Ille dedit quantum lucem mortalibus ignis!
Quam facile hoc adytu penetravit in intima mundi
Sepoſiti, virtus, ſeu virtute acrior ipſa
Europæa fames auri regnique cupido?
At gens Hiſpanam miratur America claſſem
Ad ſua diffuſis tendentem littora velis,
Viventesque putat terris accendere moles,
Aligeros Cetos, formæque animalia miræ
Mirantur cultumque habitusque atque arma virorum,
Et cruſtam humanis ferratam accreſcere membris,
Ferventes mirantur equos, equitesque biformes;
Et varium duplici conflatum ex corpore monſtrum,

Hoc hinnire, alioque loqui (quis crederet?) ore.
Præcipue bombardarum vultumque ſonumque
Et ſubitas fumi commiſto fulgure nubes,
Et veri pejora imitamina fulminis horrent,
Te vidi attonitum (non, ſodes, ipſe negabis)
Altitonans Viracocha homines timuiſſe tonantes.
Nec minus interea veſtræ ſtupet advena terræ
Inſolitam rerum faciem, ignotasque figuras:
Miratur tot ubique novis animantia formis,
Plantasque fructusque novos, hominesque deosque,
Naturamque aliam, ſed enim ſuper omnia vecors
Immenſas miratur opes, glebasque micantes
Auriferosque amnes, nimium hæc miratur amatque
Ah nimio nimis! hinc cædes & bella nefanda
Quæ geſtit mox hoſtis atrox ex hoſpite factus;
Quæ mihi nunc memorare dolet, puduitque videre.
Hinc deſolatum late cultoribus orbem
Vidimus; hinc mundi integri, tanquam unius urbis
Vidimus excidium; quid nunc certamen inane
Exercet? quid nunc pomos defendere tentat
Terra ſuas, ſua quæ defendere viſcera neſcit?

At tu præteritas tandem oblivíſcere clades,
Nam tanti non parva Deus tibi, America, vindex,
Et dedit & majora dabit ſolatia damni.
Gaude ſorte tua, pars omnis amara vorata eſt
Jamdudum, dulcis ſupereſt: (hic intima ab arte

Lætificos ciet ore modos ac pectine Phœbus,
Lætantur monstrosorum fera corda Deorum,
Membraque saltantum jactant immania ritu,
Sed taciti, metuunt sacrum interrumpere carmen)
Jamdudum Europa sævum dominatur in omni,
Et vos abreptum vobis ulciscitur Aurum.
Jamdudum insultat captum victoribus ipsis,
Nec scelerum Hispanis terris jam causa minorum est
Quam vestris Hispanus erat; jura omnia sternunt,
Cuncta ruunt, miscentque simul quacunque redundant
Divitiæ, sed nec populis damnosior ulla est
Cognita diluvies; plures arcessite Iberos,
Et similes gentes (quæ non imitantur Iberos?)
Effodiantur opes vestræ de stirpe, relinquant
Quas terra emittit fruges, quascunque recondit;
Qua lubet, o tollant, tollant fomenta malorum.
Infœlicem Helenam, mundis ambobus Erynnin
Communem rapiunt, quam tristia bella sequuntur
Qua venit, atque ignes, regnorumque ultima fata.

Tantillo interea pretio quot commoda vitæ
Mutastis? pulsa est morum importuna priorum
Barbaries, gens depulsa est hominumque Deumque
Carnibus humanis tandem victuque profano,
Sive horrenda fames, seu detestabile quoddam
Luxuriæ genus illud erat, tu deseris ipse,
Tu paulatim epulas jam, Vitziliputle, cruentas,

Jam nebulis plerumque fatur fumoque Tabaci.
Vescerisque brevi (sic Dii vescuntur honesti)
Ambrosia tenui, & cœlesti absternius aura.
Nunc agitis civile bonis sub legibus ævum,
Nunc habitare domos & munire oppida vallo,
Vomere nunc terram, & pontum didicistis arare
Navigiis, magnique patent commercia mundi:
Nunc vestis variæ decus, & tutamen habetis
Armorum, & vitæ lauta instrumenta beatæ,
Et belli pacisque artes, totamque Minervam.
Ipsæ etiam proavis incognita Numina; Musæ,
Incipiunt jam se vestris assuescere terris,
Et gaudere loco; jamdudum vidimus Incas
Historicos, visuri olim magnosque poetas.
Quod nisi falsus ego (at Phœbo quis verior augur
Venturi?) veniat sæclis volventibus ætas
Cum vestris corrupta opibus, maturaque messi,
Proventu scelerum ingenti; virtute fugata
Diisque suis, cadet Europe, pars optima mundi,
Externis propiisque simul cadet obruta bellis
Heu deserta diu & vobis miseranda jacebit.
Tunc orbis (gaudete) vigebit gloria vestri,
Ingenium, pietas, artes, ac bellica virtus,
Huc profugæ venient, & regna illustria condent.
Pone sequentur opes; nollem; sed, credo, redibunt
In patriam, patriæque iterum pro more nocebunt;
Imperia hic ferræ statuent tum maxima Parcæ,

Non numero ingenti fervorum & inutilis auri
Barbarico tantum fulgore potentia vulgi
Senſibus attoniti, vidiſtis qualia nuper
Regna Motezumæ, vel ditis Guanacapaci,
Qualia Romano quondam ſed vidimus orbe,
Et domina his Virtus erit, & Fortuna miniſtra.

PLANTARUM.

LIBER SEXTUS.

SYLVA.

Nunc, age, delicias hortorum, Muſa, nitentum
Deſere; nunc obſcura tibi, nunc aſpera dumis
(Qua Phœbus ductor tuus olim, excluditur ipſe)
Per ſaltus tentanda via, & nemorum invia, reſtat.
Eja, age venatrix! denſas penetremus in umbras,
Intima ſcrutemur viridantum luſtra Dearum.
Solve mihi ingenium pede velox, ſolve ſagacis
Judicium naris; facundia libera currat,
Naturamque premat læto clamore latentem.
Tende plagas mentis, ſubtilia retia tende,
Et magna conſtringe fugax indagine verum;
Hic tuus eſt venatus, & hæc tua ſola ferina.
Sed neque te pudeat pomaria ditia ſylvis
Pauperibus mutaſſe; habitarunt Numina ſylvas,
Forſan & hic habitent: habitavit proximus illis
Calides, nemoris dono tutatus opaci

Auguſtum caput, & nulli violabile Parcæ:
Huc ades, o dilecte Deo! ſacrum tibi lucum
Pangimus, æterni pubentem veris honore.
Tu mihi, tu præſens frondoſi carminis ipſe
Numen adeſto, tuamque volens hic incole Quercum.
Quam tibi longævam ſtatuo; non illa latebras
Perfugiumque dabit; ſed victor fronde ſedebis
Servatam ob patriam redimitus tempora querna,
Fulgebisque altus, totique videberis orbi.
Vos quoque ſylvicolæ, vel (ſi fas dicere) ſylvæ,
Orbis, Hamadryades, non ultimi fama Britanni.
Vos mihi cantanti capite inclinante faventes
Annuite, o! venia liceat mihi pandere veſtra
Res veterum ſacra nemorum caligine tectas,
Atque novum ingentes immittere lumen in umbras.
Fas mihi, florentis conſulta verenda ſenatus,
Sermonesque Deum fas ſit proferre virentum.
Ignotasque homini voces, quas auribus haurit
Neſcius attonitis, ramorum audire ſonores
Mobilium credens, & ludicra murmura venti:
Sed Laurus Phœbo (qui tunc procul abfuit ipſe
Orbe vehens alio) Phœbus mihi ſingula dixit,
Nunc ego mundo omni plantarum prædico vates.
Tempus erat quo Jacobi certiſſima proles,
(Carolus ille pius, propago mitis Olivæ)

v. 41. Prima in propago (ne quem forte grammatici decipiant) tam nomine quam verbo anceps eſt. Verbum

Angligenas placida populos in pace regebat.
Fœlix ante alios reges, dum fata ſinebant,
Dumque gubernantis tempeſtas improba rerum
Non renuebat opem, nunc fœliciſſimus ultra
Invidiam, & Divum leto transgreſſus honores.
Nam miſeram vento Europam bellante per omnem,
Et ſtrage informi ſylvas lacerante vetuſtas;
Pax ſuper oceanum fertur turbata volaſſe,
Et tepidum in lucis nidum poſuiſſe Britannis:
Non illum vano Dea fœcundiſſima fovit
Incubitu, pullique excluſi protinus aurei,
Juſtitia atque fides, atque uno copia cornu;
Sed pleno atque malis noto medicamine multis.
Talia crediderim Saturno fæcula rege.
Tam lævi atque albo tranſiſſe per æthera tractu,
Sed ſibi tandem oneri nimia eſt fortuna, Deisque
Ipſis invidiæ: tædet tandem eſſe beatos;
Et levitas hominum pulchram temeraria mutat
Pellice deformi Uxorem; mutatio pulchra eſt.
Non aliud morbi mortisque inſtare periclum

bis producit Lucretius, bis nomen Virgil. Nec quicquam magis ridiculum excogitari poteſt, quam quod Probus ait: Nomen in nominativo corripi, in obliquis produci. Vid. Voſſ. de A. Gr.

v. 53. Quaſi celebratiſſimum illud copiæ cornu, verum eſſet, & ſolum fortaſſe Monocerotis cornu, magnum illud alexipharmacum.

v. 61. Κόποι ἀυτόματοι φράζουσι νόσους. Hippocratis, Aph. S. 2. ſpontaneæ laſſitudines morbos denunciant.

Certius affirmant medici, quam cum integra viſu,
Luxuriansque valetudo, ſine vulnere cauſæ
Ullius, nulloque vigorem fracta labore
Sponte fatigata atque labans ſibi diſpicet ipſi.
Talis erat ſtatus Angligenum tam pulcher & æger,
Fortunatorum nimium bona ſi ſua noſſent.
Sed tam ingrata nihil levat ignorantia culpam.
Ergo Deum magnis monitrix apparuit ira
Prodigiis, heu, nequicquam; ceu fulminis ictum
Antevolare ſolet rapidi prænuncia flamma.
Ipſe puer, nondum (manet horrida imago) biluſtris,
Triſtia me memini toto æthere ſigna videre;
Vidi equidem inſtantum lato terrore malorum
Conſcriptam cœlo hiſtoriam; convexa polorum
Lucenti (heu trepido referens) accenſa procella,
Et faciem inferni flagrantem imitata barathri
Undique ſulphureos flammarum volvere fluctus.
Tum rupta nube horrendam pulchramque repente
Seſe aperire intus ſcenam, duplicesque ſtupendo
Ordine diſpoſitas acies, belloque paratas
Luminis ærati fulgentes ſtare ſub armis:
Monchius haud acies melius, fortiſſimus heros,
Inſtruxiſſet eas, bello clariſſimus omni
Monchius, & patriæ columenque decusque ruentis,
Qui tunc forte aliqua deſcriptus & ipſe figura

v. 72. Hanc partem prodigiorum, quæ in æthere apparuerunt, veram eſſe in me recipio, plurimique idonei teſtes rei nunc vivunt.

Militiæ cœleſtis erat, rapidumque premebat
Altus equum; noſtras timor an deceperit aures
Neſcio, credidimus clangorem audire tubarum,
Principium pugnæ; concurrunt protinus alæ
Hic equitum ardentes, adverſaque pectora trudunt
Obnixi; hic pedites haſtilia longa coruſcant,
Veraque ab ætheriis ſclopetis fulmina mittunt.
Involvunt ſuperos tetra caligine campos,
Factaque nubigenum memoranda, & fata virorum.
Sed partem immenſæ ſtragis faciemque tumultus
Confuſam, rivisque rubentem ſanguinis æthram
Vidimus, armorum ſplendore & luce maligna
Fulguris emiſit quam tormentarius ignis.
Tandem acies nobis melior quæ viſa, figuris
Nobilior magnis late armorumque virorumque
Heu converſa fuga eſt: nox cætera condidit alta,
Mortalesque hebetans viſus caligo futuri.
Non tamen his multisque aliis (quæ tempore in illo
Plurima viſa piis) commota eſt Anglia torpens
Prodigiis; ſylvæ quis tunc obſcura timebat
Monſtra Caledoniæ? quis murmura plebis ineptæ?
Quis tunc ſchismatici fermenta latentia zeli?
Impius aut quod tum nomen Cromvellus habebat?
Nec fat erat divis, urbes aulamque ruinæ
Premonuiſſe gravis; ſaltus ſylvasque monebant;
Nam paria & ſylvis inſtabant fata Britannis.
Flante videbamus Zephyro procumbere Quercus

Funditus

Funditus ejectas poſſeſſo mille per annos
Natalique ſolo; Zephyro quis talia demens
Imputet innocuo? Dryades videre Deorum
Semideæ dextras ſtirpem ſine falce ſecantes.
Aſt aliæ, frondes (portentum triſte) ferebant
Enormes, formaque nova inſolitoque colore;
Et nunquam foliis manabat melleus humor,
Nobile nec ramos Viſcum ditabat ovantes:
Sed gallis onerabantur, gallisque latebat
In cunctis muſca infœlix, divina futuræ
Cladis, & obſcuro muſſabat murmure diras.
Sæpe nemus totum ſubita quaſi febre laborans
Nullis tanquillum turbantibus aera ventis
Contremere horreſcens; turbantibus aëra ventis
Pro ſtrepitu arboreo triſtes reſonare per umbras
Humano ſimilem gemitum & ſuſpiria vera,
Quinetiam obſcœnæ ſumma dicuntur in orno
Luce palam, Phœbo fruſtra indignante, volucres,
Bubones, Ululæque, & nomen noctis habentes
Sediſſe, & diro temeraſſe examine ſylvam.
Siqua fides vati, Spinturnix ipſa fuiſſe

v. 122. Ex animalculis intra gallas quercuum enatis recepta eſt apud ruſticos venturi anni divinatio, ſi vermis in iis generetur, caritatem frugum, ſi aranea, peſtilentiam, ſi muſca, bellum inſtare prædicunt.

v. 134. Inauſpicata eſt & incendiaria avis, propter quam ſæpenumero luſtratam urbem in annalibus invenimus, ſicut L. Caſſio, C. Mario coſſ. quo anno & Bubone

Dicitur inter eas, monſtro feralior omni
Spinturnix; avis ignota eſt mortalibus illa,
Sed novere Deæ, & viſa tremuere miſellæ.
Singula quis memoret? ſed quid monſtroſius iſto?
Excluſiſſe cavo ſerpentes ova feruntur
Fraxineæ trabis; haud umbræ perferre ſolebant
Fraxineæ ſupremam oram, vix frondis odorem
Fraxineæ; objectos mallent incurrere in ignes.
At magis haud ullum ſylveſtria Numina movit
Prodigium arboreum, quam tactas fulmine Laurus
Cernere, contactas viderunt fulmine Laurus;
Quas Jovis ipſius veteri diplomate dicunt
Fulminis immunes ſemper vixiſſe, nec ullas
Pertimuiſſe minas cœli, ſortemque tuliſſe,
Quam nulli poterant victori tradere, tutam;
Tam fera monſtra Deum, manifeſtaque ſigna malorum,
Religioſa cohors & conjectare peritæ,
Orbis Hamadryades non neglexere Britanni.

viſo luſtrata eſt: quæ ſit avis ea nec reperitur nec traditur. Quidam ita interpretantur, quæcunque apparuerit carbonem ferens ex aris vel altaribus, alii Spinturnicem eam vocant, ſed hæc ipſa quæ eſſet inter aves qui ſe ſcire diceret, non inveni. Plin. L. 10. 13. incendiaria avis, ambuſtanea, quæ circa buſta verſabatur; ea. inquit Serv. ſi de buſto ſudem ad tectum detuliſſet, incendium portendebat, ſi cujus ædes infediſſet, & vocem miſiſſet, ſignificabat mortem. Dalecamp.

v. 139. Contra ſerpentes ſucco expreſſo ad potum & impoſita ulceribus (folia Fraxini) opifera, ac nihil æque, reperiuntur: tantaque eſt vis ut ne matutinas quidem occidentesque umbras, quam ſunt longiſſimæ, serpens ar-

Eſt vetus atque ingens, fama celeberrima, ſylva;
(Hinc Vaga Cambriacis ſacram diſterminat agris,
Illinc vix Thameſi cedens Sabrina potenti
Alluit) Ardennæ quondam prænobile nomen
Nunc Denæ datur; & nomen mutilatur & ipſa.
Plus nulli Martis nocuit crudele metallum;
Cæditur & ferro, & ferro ſucciſa coquendo
Inſervit, propriæque infœlix triſtia mortis
Inſtrumenta facit; ſibi damnum parturit ipſa
Arboribus fœcunda ſuper, ſubtusque metallis.
O ſemper bona pauperies! & conditus alta
Theſaurus tellure nocens! O ſemper ovantes,
Integræ, ſalvæque ſolo non divite ſylvæ!
Nunc quota pars nemoris manet inconſumpta vetuſti?
Sed tamen hanc partem (tanta eſt reverentia) parvas

boris ejus attingat, adeo ipſam procul fugit. Experti prodimus, ſi fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quam in fraxinum fugere ſerpentem. Mira naturæ benignitas priusquam hæ prodeant florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere. Plin. lib. 16. 13.

v. 153. Nobiliſſima ſylva (*the Forreſt of Dean*) in comitatu Gloceſtriæ inter Vagam fluv. (*the Wye*) & Sabrinam ſita, ſed jampridem ferrifodinis & fornacibus plus ſolis interlucata, peneque exhauſta. Quidam quaſi Danicam ſylvam dictam volunt: Giraldus, ſylvam Danubiæ vocat. Sed Camdenus noſtras ab Ardenuæ nomine, abjecta ſyllaba priore derivat Denam. Ardenna autem veterum gallorum lingua ſylvam ſignificabat, unde vaſtiſſima ſylva in Gallia Celtica id nomen abſolute obtinuit, aliaque olim in agro qui nunc Warvicenſis dicitur.

Ferri reliquias immitis, & ignis avari,
Numina multa colunt, & adhuc poſt omnia damna
Nobilior terris non incubat umbra Britannis.
Hic longæva Dryas, regni regina virentis,
Cui vectigales immenſi adjunxerat undas
Oceani victrix, Nymphis ſylveſtribus ipſa
Concilium indixit magnum, & venere frequentes.
Omnes quæ poterant cœlum perferre Britannum
Sylveſtres venere Deæ, leviterque ſupino
Colle ſuper, pulchra circum cinxere corona
Reginam in medio Dryadem; non ora Dearum
Fœminea, arboream ſed formam habitumque gerentes,
Officiique ſui feſtis conventibus aptum
Ornatum viridem; ſiquis bello ordine ſtantes
Præteriens vidiſſet eas, non ille putaret
Numina, ſed lucum magnis ſe cernere ſacrum
Numinibus; talis ſcenæ frondentis imago;
Quam parte ex una rivus circumdat amœnus
Decurrentis aquæ; viridanti in margine ſedem
Occupat, atque ſolo ſe ſiſtit molliter udo
Leuceis, comes Alcidæ, herculeosque labores

v. 188. *Populus Alcidæ gratiſſima* —— Virg.
Et,
Herculea bicolor cui populus umbra
Velavitque comas ——————————
Ab inferis redux hac primum arbore ſe coronaſſe dicitur Hercules.

Λευκη, gr. Populus alba. Angl. Poplar. *Populus alba* LINN.

Umbra refert bicolor folii; pars nigra ſuperna eſt,
Alba ſubeſt; olli comes eſt Phaetontias Alnus.
Ambuſti memor, ac caſu perterrita fratris,
Multa gaudet aqua, & vivit ſecura ſub undis.
Huic latus adjungunt gens Oleſicarpia dicta
Iteades nymphæ, caſtiſſima turba ſororum,
Et vel adhuc juvenes incano crine ſeveræ
Flumen amant; mores dilectum frigus in ipſos
Tranſit; & egelido lentore cupidinis ignes
Extingunt Salamandræ inſtar, dant vincula rebus
Firma aliis, ſolos gaudent disjungere amantes.

v. 190. Alnus. *Alder.* angl. *Betula alnus* LINN.
Tum Phaetontiadas muſco circumdat amari
Corticis, atque ſolo proceras erigit Alnus. Virg.
At 10. Æn. in populos converſas fuiſſe innuit,
Populeas inter frondes umbramque ſororum
Dum canit ———
(Cygnus) Et ſic vulgo traditur; Ovidius autem arbores non nominat, ſed eas electro ſtillantes facit, quod neutri convenit, nec ulli quidem arbori, nam ſuccinum bituminis genus eſt.

v. 195. Ιτεα, Salix, παρα τὸ ἰεναι, a ſaliendo, quod cito in altum creſcat. Hom. Odyſſ. 10.
——— ——— ἰτέαι ὠλεσίκαρποι. Ocyſſime Salix amittit ſemen, antequam omnio maturitatem ſentiat, ob id dicta Homero Frugiperda, ſecutaque ætas ſcelere ſuo interpretata eſt hanc ſententiam, quando ſemen Salicis mulieri ſterilitatis medicamentum eſſe conſtat. Plin. 16. 26. Erat Salix antiquitus ſterilitatis & caſtitatis ſymbolum ſive quod Amerina Salix, (præcipue Vitex quæ ex eo genere eſt) ſubſtrata corporibus Veneris deſiderata auferat; ſive quod folia hujus arboris contrita & pota libidinem extinguant.

v. 200. Ἀκτὴ a littore, nam in humidis gaudet. Sam-

Non minus his Acte lætatur & assidet undis,
Sed tamen humanis stagnantes pellere membris
Dicitur, hæc effata; quid hic torpetis inertes?
Hæc sola sanguineis tantum sunt debita rivis.
Quid cruciare hominem juvat, ô, dum plurima vobis
Arbor honesta caret? quin ocyus, inquit, abite,
Inque uterum terræ vestrum descendite; at illæ
Qua via permittit descendunt agmine denso,
Et toto exactus de corpore depluit humor,
Territus imperio magno virgaque potenti.
Stat prope nullius non hospita læta Betulla,
Arentis madidive soli: nullo aëre tristis.
Mollis & alba cutim, formosam vertice fundens
Cæsariem, sed mens tetrica est, sed nulla nec arbor
Nec fera sylvarum crudelior incolit umbras:
Nam simul atque urbes concessum intrare domosque
Plagosum Orbilium sævumque imitata draconem
Illa furit, non ulla viris delicta, nec ullum
Indulgens ludum pueris; inscribere membra
Discentum, teneroque rubescere sanguine gaudet.

bucus ab ejus nominis instrumento musico, quod ex ea fieri solitum est; sicut Syringa, arbor (*the Pipe Tree*) parili ratione nominata est; angl. Eldar. Inter plantas hydragogas vix alia celebrior. *Sambucus nigra* LINN.

v. 210. Betulla, vel Betula, quasi Batula, à batuendo; i. e. feriendo. Theophrast. Σημύδα. Angl. Birch. arbor est Gallica mirabili candore & tenuitate, terribilis magistratuum virgis. Plin. lib. 16. 18. *Betula nigra* LINN.

At contra urbanæ multa inſtrumenta miniſtrat
Prodiga luxuriæ nimium Sphendamnis, & omnes
Venarum impendit labyrinthos verſicolorum.
Hinc pretioſa nitet Citroque ſecunda ſupellex,
Molluſcum, Bruſcumque, atque aſpera nomina lævis
Lautitiæ; quoniam gula jam langueſcit inepta,
Ditia ſuſtineat niſi dives menſa nepotum
Fercula, tanquam ederent maculoſi tubera ligni.
Ah melius quanto Zygias tibi provida, venter,
Conſulit, agricolæ cum dat juga fortia tauro,
Materiemque Moletrinæ cum ſufficit aptam?

v. 221. Σφένδαμνος Acer, Maple. Angl. Acer operum elegantia & ſubtilitate Cedro ſecundum; plura ejus genera: album, quod præcipui candoris vocatur, Gallicum, in tranſpadana Italia, transque alpes naſcens; alterum genus criſpo macularum diſcurſu, qui cum excellentior fuit, à ſimilitudine caudæ pavonum nomen accepit ——— Pulcherrimum vero eſt Bruscum multoque excellentius etiamnum Molluscum, (ubi notanda eſt negligentia verborum: multo excellentius pulcherrimo) tuber utrumque arboris ejus: Bruscum intortius criſpum, Molluscum ſimplicius ſparſum; et ſi magnitudinem menſarum caperet, haud dubie præferretur Cedro (vel Citro) nunc intra pugillares, lectorumque ſilicios aut laminas (legunt al. lectorum ſilaceas laminas, i. e. flavas. al. lectorum Scilicia aut laminas) raro uſu ſpectatur; e Bruſco fiunt & menſæ nigreſcentes. Plin. lib. 16. cap. 15. 16. *Aceris* variæ ſpecies LINN.

v. 228. Ζυγία, quod ex ea facta ſunt Juga. Carpinus lat. Hornbeam, Angl. à duritie ligni. Theoph. Ex Acerum genere eſſe putat, videtur eſſe ex ulmorum. *Carpinus Betulus* LINN?

Ah melius quanto Pteleas tibi ruſtica, præbens
Et frondem armentis, & aratris utile lignum,
Ruſtica, ſed fœlix & Baccho conjuge clara?
Oxyas una nemus ſpaciosum proxima fundit,
Et gratam pecori, gratam paſtoribus umbram,
Sive diem ſomno, ſeu malint frangere cantu
Æſtivam; at potius, paſtores, frangite cantu.
Cantando Fagos mulcebat Tityrus altas.
Hinc olim juvenis mundi melioribus annis
Fortunatarum domuum non magna ſupellex
Tota petebatur; ſellas, armaria, lectos,
Et menſas dabat, & lances, & pocula Fagus.
His celebrare epulum veteres & feſta ſolebant
Vina coronati Divis libare benignis,
His retinere (opus haud fuerat placare) faventes.
Nulla ſcyphos unquam infamarunt toxica tales:

v. 231. Πτελέα. Ulmus, Elm. materie vitiumque amicitia præſtare dicit Ulmum Plin. Cato Ulmos circum vias ſeri deberi præcipit, uti frondem ovibus & bubus habeas, & materiam ſiqua opus ſit, in parato.

Viminibus Salices fœcundæ, frondibus Ulmi. Virg.

v. 234. Ὀξύα. A glande triquetra acuminata, (ſed diverſa ſunt genera Fagorum) Fagus, quod glans ejus eſui fuerit olim, & adhuc poteſt eſſe in magna penuria. Angl. Beech. Magna pars ſupellectilis antiquorum ex hac arbore, præcipue pocula,

——— *Pocula ponam*
Fagina ——— Virg.
——— *Nec bella fuerunt,*
Faginus aſtabat dum ſcyphus ante dapes. Tibul. *Fagus ſylvatica* LINN.

Sed ſitis exhauſit plenos ſecura, nec illud
Arcana evenit ligni virtute potentis.
Paupertas fuit antidotum contra omne venenum.
Tales tunc habuit placidos & Fraxinus uſus,
(Fraxinus ipſa arbor, Melias ſed Nympha vocatur)
At poſtquam ex illa fabricata eſt Pelias haſta,
Et bibit Hectoreum (pro gloria ſæva!) cruorem,
Bella colit, nec jam pluvias vicinaque tantum
Flumina, ſanguineos quantum ſitit effera rores.
Non illi inferior procero corpore juxta
(Sed pia & alterius ſtudiis operata Minervæ,
Nam tenui donat victura volumina libro)
Stat Philyra; haud omnes formoſior altera ſurgit

v. 250. Μελία, Fraxinus, Ash. multum Homeri præconio & Achillis haſta nobilitata. Plin. lib. 16. 13. de haſta Hom. Il. 16.

——— ——— Ἔγχος
Βριθὺ, μέγα, στιβαρὸν, τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλο Αχαιῶν
Πάλλειν, ἀλλὰ μιν οἶος ἐπιστάμενος πάλλει Αχιλλεὺς.
Πηλιάδα Μελίην (Fraxinum) τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε χεῖρα
Πηλίου ἐκ κορυφῆς φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν.
——— *Fraxinus utilis haſtis.* Ovid.
——— *Belli potura cruores*
Fraxinus ——— Stat.
Fraxinus excelſior LINN.

v. 259. Φίλυρα. Tilia, Lime-tree. Ad chartarum uſum Philyræ cortex ut plurimum ſelectus. E philyra fieri libros tenuiſſimos, & in utramque partem replicabiles, in com. Herodianus autor eſt. Hinc Philyræ dicuntur omnes libri aut papyri ad ſcripturam utiles. Inter corticem ac lignum tenues tunicæ multiplici membrana e quibus vincula Tiliæ vocantur, tenuiſſimæ earum Philyræ, coronarum Lemniſcis celebres antiquorum honore. Plin. 16. 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0381
DFG

Inter Hamadryadas; molliſſima, candida, lævis,
Et viridante coma & beneolenti flore ſuperba,
Spargit odoratam late atque æqualiter umbram.
Iſtam componit nativa imitata venuſtas
Culturam, & multo ditat medicamine virtus,
Unaque plantarum dotes complectitur omnes,
Una omnes merito connectere nata coronas.
Achras acerba tuens & Oreimelis ſimul aſtant
Nequicquam maturæ & nullo ſole domandæ,
Venerunt etiam ſylvasque hortosque colentes
Amphibiæ Nymphæ: non belli nominis Ouas,
Oxyacantha ferox, Sycanimea ſanguine tincta,

Diſplicent nexæ Philyra coronæ. Hor.
Ebrius incinctis Philyra conviva capillis
Saltat ———

Ovid. Faſt. *Tilia europæa* LINN.

v. 264. Flores calefaciunt & ſicc. diſcut. cephalici ſunt, utiles in epilepſia, apoplex. vertig. Folia ac cortex ſiccant, repelliunt, urinam ac menſes cient, extrinſecus ambuſtis ſubveniunt. Semen fluxionibus quibuscunque medetur, etiam hæmorrhagiæ narium, lignum ſanguinem coagulatum fortiter diſſolvit, extrinſecus adhibentur folia in aphthis & tumoribus pedum diſcutiendis, corticis mucilago in ambuſtis ac vulneribus magni eſt ſolaminis. Humor defluens e medulla diſſecta capillorum defluvio ſuccurrit. Schrodr.

v. 267. *Pyrus & Malus ſylveſtris.*

v. 270. Οὐα. Ὄα. Οἶη. Sorbus. Service-Tree. *Sorbus domeſtica* LINN.

v. 271. De Oxyacantha Dioſc. & Theophr. & Oxyacantho Galen. Variæ ſunt doctiſſimorum virorum opiniones, quidam Berberim noſtram putant eſſe, quos hic ſequor, tandemque Plinii Spinam appendicem. *Cratagus Oxyacantha* LINN. vel *Berberis.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0382
DFG

Tincta cruore atro, sed & ossea tota Graneia,
Et Carya, & Corylis dura, & cute Castanis hirta.
Quis neget has lautas & opimas vivere, in hortis
Queis domus urbana est, in sylvis rustica villa?
Sed nec abesse putes Spinam conventibus albam
Talibus; omne solum natale est, intrat ubique
Ardelio; illa quidem cultis excluditur agris
Plerumque, atque hortis; sed circumsepit utrosque
Atque omnes adytus servat fidissima custos,
Utilior latrante cane armatoque Priapo.
Aspera frigoribus saxisque Helvetia tales
Educat, & peregrè terras emittit in omnes
Enormes durosque viros, sed fortia bello
Pectora; non illi cultu, non moribus aulas,
Atque urbes decorare valent, sed utrasque fideli
Defendunt opera; nec iis, gens cauta, tyranni,
Præponunt speciosa magis, multumque sonora
Præsidia; his certi vitam tutantur opesque.
Hos quoque cum junctos videas, justaque sub armis
Dispositos acie, toto nullum agmen in orbe
Nobilius dices visu aut formosius illo.
Non igitur temere veteres ex arbore tali
Quæ rigidæ sepis munimina firma ministrat

Συκάμινος, Morus. Mulberry-Tree. *Morus nigra* LINN.
Κρανέια, Cornus, Cornelia-Berry.
——— ταυσφλοιόνς Κρανείαν. Hom. *Cornus mascula* LINN.
Carya, *Juglandis regiæ* LINN. Corylis, *Coryli avellanæ* LINN. Castanis, *Fagi Castaneæ* LINN. Nympha est.

Contra prædonum insidias furumque ferarumque
Excidere sacras Hymenæa ad fœdera tædas
Jusseruntque novis vigiles præire maritis.
Huic comites addunt sese de more frequentes
Horrida Prumnitis pomo fœcunda severo
Aspera virgo Batis, Rosa morsu nota canino,
Auxiliatrices ad sepimenta catervæ.
Haud minor æterno pubentum frondis honore
Sylva aderat; victrix brumæ, nec legibus anni
Subdita vertentis; nihil illa vel indiga solis,
Vel Jovis est; sed vere suo privoque beata;
Et ridet plorante polo terraque gemente.
Pyxiadis frondes hyemem, sed sæcula vincit
Omnia materies; dentemque fatigat in illa
Tempus edax frustra: tamen omni cerea formæ,
Culturæ dociles ramos accommodat omni,
Ingeniosa sequi dextramque artemque magistri.
Si tibi sic visum est, humiles distinguet in imo
Repens areolas, & flores stare superbos
Aspiciet supra; si vis, caput efferet alte

v. 296. Spina nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores qui rapuerunt Sabinas, ut autor est Massurius. Plin. 16. 18.

(299) Prumnitis. *Prunus sylvestris* LINN.

(300) Batis *Rubus fruticosus* LINN.
Rosa. *Rosa canina* LINN.

v. 308. Πύξος διὰ πυκνὸν τὴν ὕλαν; Inde nomen pyxidum ex illa factarum; Buxus, Box. Cariem vetustatemque non sentit. Plin. *Buxus arborescens* LINN.

Magna arbos, sumetque volens quamcunque figuram
Seu jubeas hominem fieri, seu forte leonem,
Seu volucrem; trunco viridis quasi Psittacus illa
Insistet proprio; statuasque hinc ordine pulchras
Arboreus tibi Praxiteles disponet in horto,
Nec minus artificum obsequitur defuncta labori;
Hinc simulacra dolant, atque immortalia pene
Numina; divinamque canens multo ore Cybellen
Delectat patrios Berecynthia tibia montes.
Hinc fabrefacta sacros diffundit pyxis odores
Nativo purgata; strepunt hoc cardine valvæ,
Hinc solidi plaustrorum axes, & buris aratri,
Hæc & fœmineo multum officiosa decori
Cæsariem terget nitidam; non ultima belli
Arma puellaris; laqueos hæc nectit amantum,
Et venatricis disponit retia formæ.
Agrias insidiis levibus captare volucres
Contenta est, celerisque fugam constringere pennæ,
Sed mala furta hominum densis mucronibus arcens
Securum defendit inexpugnabilis hortum,
Exornatque simul, toto spectabilis anno,
Et numero & viridi foliorum luce nitentum,

v. 323. ——— *Buxusque vocat Berecynthia matris Idææ* ——— *Virg.*
Si buxos inflare juvat ———
i. e. tibias, Claud. Berecynthus Mons Phrygiæ Matri Deum sacer, buxo abundantissimus.
v. 327. Quod pectines ex ea fiunt.
Multifido Buxus quæ tibi dente datur. Mart.

Nec piget his decorare domos; juvat undique lætas
Texere Acufoliæ ramos, roſeique puſillis
Coralii gemmis deformem ornare Decembrem,
Et gelidas vernis hilarare coloribus horas.
Plus hyemi præſtat Comaris, dat edulia poma,
Non terrena ferens nec humi repentia Fraga.
Hac ſola infœlix ſylveſtri paſcitur eſca
Janus, & eſuriens non uno devorat ore.
Phillyris & Pyracantha oculos hominumque Deumq;
Paſcere contentæ, baccarum fercula rubra,
Dant avibus ſolis, & tandem debita gratæ
Per brumam æſtivi perſolvunt præmia cantus.
Mœſta ſubit Smilax, habitu lugentis ad urnam

v. 331. Ἀγρία, Theophraſt. Aquifolium, vel Aquifolia, quaſi Acufolium, nam aquus olim pro acus dicebant. Angl. Holly. Fit ex illa viſcum. *Ilex Aquifolium* LINN.

v. 341. Κόμαρος. Arbutus. *Strawberry-Tree*, quod fructus fraga repræſentet. Hyeme fructu ſuperbit, coccineo aſpectu micanti, numeroſo, acetoſis conflato partibus, ac guttur exaſperantibus, quique alio anni tempore reſpuerentur, flore luteolo. *Arbutus Unedo* LINN.

v. 345. Φιλλυρέα, Dioſc. Alaternus ex ejus genere. Angl. *Ever-green Privet*. *Phylliræa latifolia* LINN.

Pyracantha, ſecundum *Parkinſ.* Oxyacantha veterum. Angl. *Prickly-Coral-Tree*. *Meſpilus Pyracantha* LINN?

v. 349. Taxus Dioſcor. Smilax, Theoph. Μίλος & Μίλιτος dicitur. Similis his (i. e. Abieti, Larici, Piceæ) aſpectu eſt Taxus, minus virens, gracilisque & triſtis, ac dira, nullo ſucco, ex omnibus folia baccifera, mas noxio fructu, lethale quippe baccis, in Hiſpania præcipue, venenum ineſt. Vaſa etiam victoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuiſſe compertum eſt; Hanc Sextius Smilacem à Græcis vocari dixit, & eſſe in Arcadia tam præ-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0386
DFG

Aut bello rapti aut morbo inclemente mariti.
Mœsta subit, veloque umbræ circumdata nigræ
Heu nimium infœlix & inani Nympha laborans
Invidia? falsi sub suspicione veneni
Insontem Graii quam damnavere poetæ,
Historicique fide famam leviore sequuti.
Me decet arbèreum vatem purgare malignis,
Atboream dictis; & ficto crimine divam,
Siqua fides vati non Graio, Taxus ab omni
Pura veneficio est, Taxi sub tegmine quivis
Dormiet, inque oculos, inque aures tutus utrasque;
De vino responde mihi, & mihi pocula præbe

sentis veneni, ut qui obdormiant sub ea cibumve capiant, moriantur. Sunt qui & Taxica hinc appellata putant venena, quæ nunc Toxica dicimus, quibus sagittæ tingantur. Repertum innoxiam fieri, si in ipsam arborem clavus æreus infigatur. Plin. 16. 10. Ridiculi mali ridiculum remedium! sed audiamus aliorum tragœdias. Plut. in Sympos. ἰσορρέσι γαρ ὅ τι καὶ σκιὰ σμιλακος ἀποκτείνει τὸς ἔγκα ταβαρθέντας ὅταν ὀργᾶ μάλιστα πρὸς τὴν ἄνθησιν. Lucr.

Et etiam magnis Heliconis montibus arbos,
Floris odore homines tetro consueta necare.

Quid quod Cæsar in suis Commentar. refert Cativulcum Taxo, cujus magna in Gallia & Germania copia erat, se exanimasse. Hinc furiis tædas ex hac arbore attribuerunt poetæ.

— *Trunca lustraverat obvia Taxo Eumenis* —

Stat. Sed post omnem hanc calumniam nostratis Taxi non tantum umbra innocua est, sed & baccæ sine noxa eduntur, sed & de Italica idem testatur Bapt. Porta. Taxum à Τάξω, arcu videtur nomen adepta, & ab eodem Toxicum

——— *Itureos Taxi torquentur in arcus.* Virg.

Taxus baccata LINN.

Taxica, non equidem parcam vel dante noverca,
Putida, grammatici, res eſt hinc toxica dici,
Illa trahunt arcus græco de nomine nomen
Triſte, venenatæ veteri de more ſagittæ
Mortiferis titulum ſævum impoſuere venenis.
Cantanti nec obeſſe ſoles, Arcenthi, gravemque
Objicit immerito vatum tibi maximus umbram,
Juniperi levis umbra nocet nec frugibus ipſis.
Quam multa arboribus tribuuntur crimina falſo?
Virtutesque utinam nullæ! Latet intus ocellos
Effugiens, denſoque obductum cortice verum.
Te quoque, ſi liceat vellem excuſare Sabina
Non licet, & ſceleris nimium manifeſta teneris,
Per te prima novæ ſcintilla induſtria vitæ,
Pauper, & in flammam eluctata micantem
(Triſte nefas!) aſperſa veneno extinguitur udo.

v. 369. Ἀρκευθὸς vel Ἀρκεύθις, Juniperus. Umbra ejus ſomnum conciliare dicitur,
— *Lethæi quaſſare ſilentia rami.*
Val. Flacc. quod ex Apollonio ſumptum, qui Juniperi ramo vigilem draconem ſopitum tradit à Medea
Ἣ δ' Ὄφιν ἀρκευθίδι νέον τετιμένον ταλλῇ
Βάπτουσι &c. ——————
Sed & opus fuit pharmaca atque incantamenta carminum addere.
Juniperi gravis umbra, nocent & frugibus umbræ.
Virg.
Omnes quidem, ſed in hac præcipuum eſt. *Juniperus communis* LINN.
v. 375. De Sabina vid. libr. 1. Plant.

Non

Non hic immerito comitem, funesta Sabina
Funeream Cypariſſin habes; comes omnibus illa
Sed pia funeribus; tu nondum (barbara) natos
Tollis, at illa ſenes etiam deplorat ademptos.
Talis erat puer ille Deo Cypariſſus amatus
Lucenti, tam leni animo, tam pectore molli,
Vulnera qui lugens & lamentabile fatum
Dilecti ſibi cervi in mortem tabuit ipſe:
Sed faciem hanc illi miſeratus Apollo refecit,
Et dedit eſſe Cupreſſum, ævumque agitare perenne
Cortice ſub viridi, Cypariſſis Nympha vocatur,
Cupreſſusque arbor. Tuque o (Deus aureus addit)
Cui tantilla movet tam magnos cauſa dolores,
Semper eris merito tu maxima præfica luctus
Funebris, Diti ſacra & Diis Manibus eſto:
Sic ait, & veri bene gnarus in arbore mortis
Æternæ poſuit præſagia dulcia vitæ,
Materiem invictam carie, nec temporis ulla
Labe fatiſcentem, florentes ſemper honores
Frondis inocciduæ, pulchræ decora alta figuræ,
In morem liquidæ cœlum invadentis flammæ,
Stat prope major amor Phœbi, ſtat dignior ignis
Arboreus Daphne pulcherrima, caſta ſed omnes

v. 380. Vid. Fab. 10. Metamorph. Cupreſſus.

Illa perodit adhuc, crepituque avertitur ignes.
Non minus & caſtam Deus ardens diligit illam,
Et vatem facit, & ſtrepitu indignantis in ipſo
Omen ineſſe jubet fauſtum lætosque ſonores,
Quid mirum eſt humilis ſi ſacratiſſima Laurus
Vulneris impatiens terreno ſtringitur hoſte?
Fulgura quæ ſuperum circum volitantia tuto
Aſpicit, atque minas cœli flammantis inanes?
O fœlix longe ante alias! o maxima gentis
Arboreæ princeps! vel ſi tibi principis aufert
Diva Dryas titulos, o certe maxima vates!
Te reges tumidi, te victoresque ſuperbi
(Par operi precium) te proxima gloria mundi
Turba poetarum geſtant, quos inter & ipſos
(Fas ſperare) comas non dedignabere noſtras,
Et foliis raro & ſterili circumdare ramo.
Tum vero ingentes Elate Peuceque ſorores,
Sublimi feriunt rorantes vertice nubes.

v. 401. Laurus quidem manifeſto abdicat ignes crepitu & quadam deteſtatione. Pl. lib. 15. 30. ubi multa vide de Lauro. Crepitum ejus ſonorum fœlicia portendere exiſtimarunt veteres contraque inominatum erat, ſi combuſta fileret.

Laurus ubi bona ſigna dedit gaudete coloni. Tib.
Et tacet extincto Laurus aduſta foco. Prop.
Laurus nobilis LINN.

v. 417. Ἔλάτη, ab ἐλάω, impello, quod in immenſam proceritatem quaſi propellit ſe, Abiesque latine dicitur eadem notione nominis, quod abeat in altum. Angl. Firre. Πεύκη Pinus, quanquam alii Πίτυν, Pinum volunt eſſe, Πεύκην Picam, noſtra non multum hic refert.

Quantum despiciunt montana cacumina valles,
Tantum illæ stantes in summo montibus ipsis
Altius assurgunt; sic stabat turba Gigantum,
Sic superinjecta frondoso Pelio Ossa
Stabant terrores superum, similesque superbis
Abietibus Pinisque levabant brachia centum.
Hoc bene prospectu terras, pontumque profundum
(Nam domibus terras & pontum navibus ornant)
Non sine gaudiolo late sua regna tuentur,
Ipsa etiam Prinis palatia regia linquit
Servantique fores sese exùit Ilice sacra
Hortenses; remanet trunco vita ægra relicto:
Interea; vix cœlo alibi contenta Britanno,
Nec sub sole quidem nostro sed rege viresçens,
Huc jam mœsta venit, monstris exterrita tantis,
Et fatis Aulæ super insolabilis Albæ.
Tali sceptrigeram Dryadem circumstetit orbe
Nobile Nympharum Angligenum nemus; illa levato
Composuit sese tumulo mediamque locavit,
Multa majestate tumens, umbræque favorem
Regalis partes longe diffudit in omnes,

v. 428. Πρῖνος, à folio serrato, Ilex, Angl. *Holm Oak, or Evergreen Oak*, quod in hyeme frondes non amittat. Hic hortis tantum excolitur, nec ibi quidem frequens unius tanquam præcipue his meminit Parkinsonus noster, in horto regiæ Westmonasterienſis, quam Albam Aulam vocant, ad posticum sitæ.

Non ego, si venti mihi vox clamosa daretur,
Cum viridis Querceta agitat reboantia Denæ,
Te digne, veneranda Dryas, celebrare, tuarum
Vel potero sylvam immensam describere laudum.
Ex te (siqua fides miracula multa canenti
Danda vetustati est,) erupit prima virorum
Tunc libro viridi, cute nunc conjecta juventus.
Tunc quoque dura genus, sed Deucalionis in ævo,
Durior evasit, crustaque incalluit alba.
Hanc famam eximiis subnixam authoribus olim
Elevat, & spernit vanorum turba sophorum,
Et schola Pyrrhonis, nimiumque Academia ridens.
Fas dubitare quidem; sed non dubitabile & illud
Quos tunc terra bonos homines magnosque creavit,
His crevisse cibis, & querna glande repasta
Æquasse annosas vivendo corpora Quercus.
Fœlix illa ætas mundi justissima Nymphe,
Cum dabat umbra domum vivam tua, cum domus ipsa
Decidua dominos pascebat fruge quietos,
Solaque præbebant sylvestria poma secundas
Gramineis epulas mensis; nondum arte magistra
Arbor adulteriis præluserat insita nostris.
Alma Ceres, non est tua munificentia tanti,
Immites alimenta ferunt si mitia mores:
Non tanti si gens hominum depulsa, ferarum
Victibus induitur naturam sæva ferinam.
Hinc male mutatus respublica desiit esse
Mundus, & invasit communia commoda rerum

Quisque sibi; hinc cœptum est partiri finibus agros,
Nataque confestim fines proferre libido.
Hinc homini sua terra parum; mox nulla videri
Terra satis. Bonus, ecce solum fastidit arator,
Pontum arat, his sulcis frumentum quærit ineptus.
Esto, non poterit magnus tentator avarus
Efficere ut fruges Pontus ferat; efficit illud
Ut ferat arboreum genus, & te, maxima Quercus,
Æquoris immensi montes transplantat in altos,
Inseruisse audax abiegnis robora malis.
O Dryas, humani comes & patrona laboris!
Si sapiunt, stabilique volunt requiescere sede,
En domus es domino multum diuturnior ipso.
Si possunt patrio contenti vivere fundo,
Das juga dura boum, stivamque, axesque gementes,
Omniaque agricolis vitæ prompta arma beatæ.
Pallida si mentes agitat vesania lucri
Fis ratis errabunda, trabes nec certior ulla
Ventorumque marisque incerta pericula lustrat,
Mors fera compagem rabida circumsonat ira
Dedignata levis tenui munimine ligni
Se fremere excluſam, ceu quondam raptor ovile
Discurrit circum lupus, exacuitque furorem,
Et rigido dentes nequicquam in poste retundit.
Linque tuas porcis glandes, ditissima Quercus,
Linque volens; homini quicquid parit undique terra,
Et quascunque ostentat opes, quascunque recondit,
Conquiris donasque; Eoaque aromata portas

Occiduumque aurum; per te molliſſima ſerum,
Sylvaque odora Arabum Thulen pervenit ad ipſam,
Per te nunc orbis reſerati pervius uſus;
Per te nunc iterum magnus reſpublica mundus
Incipit eſſe; omnis nunc poſſidet omnia tellus.
Si merita veteres celebrarunt laude poetæ
Arietis unius referentem vellera fulva
Phaſide vicina Pinum, penetrataque ponti
Clauſtra, & Cyaneæ ridenda pericula cautis:
Quis tandem oceanus famæ tibi ſufficit, aut quo
Te ſatis ad cœlum tollet facundia fluctu
Adjungetque aſtris, o magni ſacra Columbi
Quercus! Io, vectrix auri fœlicior, Argo!
At Quercus Dracana tuos imitata labores
Phœbe, tuo digna eſt ſolius carmine dici.
Sit ſidus Pagaſæa ratis, poſt tempora vitæ
Et curſum æquoreæ cœleſtis fulgeat inſtar
Arietis; hæc puppis totum circum acta per orbem
Sideris officio jamdudum & in æquore functa eſt.
Quam bene confuluit terræ natura Britannæ
Oceani magnum tendens hic ponere regnum?
Si non ingentes, Libani decora ardua, Cedros,
Nec Pinum Ideam, aut Palmam fœlicis Idumes
Nec dites Arabum ſylvas & odora vireta,
Nec Platani feſtam conceſſit amabilis umbram,
At Querceta dedit toto longe optima mundo,
Belligerumque nemus ſolidavit robore multo,
At maris immenſi vaſta circumdata foſſa

Insula stat secura minarum, & classibus illam
Roboreis communit inexuperabile vallum.
Non igitur Dryadæ nostrates pectore vano
Nec sine consulto coluerunt Numine Quercum,
Non illam Albionis jam tum celebravit honore
Stulta superstitio, venturive inscia sœcli
Angliaci ingentes puto prævidisse triumphos
Roboris, imperiumque maris, quod maximus olim
Carolides vasta victor ditione teneret. (Quercus
Quid mirum hoc, siquidem veteres oracula
Effudisse ferunt? superumque arcana voluntas
Principio rauca sylvarum voce putatur
Significata homini; Phœbæam qualiter implet
Vatem Cyrrhæis erumpens spiritus antris
Attonitam raptans & multo Numine turbans,
Haud aliter sacros inspirans ipse furores
Robora Dodones agitavit ventus; at illa
Terribili sonitu capita & fera brachia jactant
Bacchantum more insano; nemus omne tremebat
Atque abrupta volant folia undique & undique rami
Sparguntur lacerati, equitantem in turbine nescit
Sylva Deum stimulata pati sed voce prementem
Excutit immani tandem; Deus ore dehiscens
Intonat arboreo mundi secreta futuri;
Multa simul glomerans obscura umbrosaque vera.
At superum generi mortali aversa voluntas
Jamdudum sacras præstare silentia Quercus
Jussit, & his tantum voce in conventibus uti,

Aut certe humanas, ſi coram aliquando loquantur,
Non intellectum profundere murmur in aures;
Hic data libertas fandi, nec Chaonis unquam
Clarius in ſylva nec apertius ore locuta eſt
Fatidico Dryas; immotis nemus undique ramis!
Conticuit, vocemque arrectis frondibus hauſit.
Magna Deos generi noſtroque hominumque minari
Cernitis, o ſociæ, & multum ſperare nefaſtos
Arbitror eventus, tamen hæc incerta malorum
Ne vos attonitas confundat imago, prematque:
Me nunc partem aliquam Deus hic edicere juſſit
Planius, & monitu virtutem armare ſalubri.
Accipite hæc totis mea dicta & condite rimis,
Fortiaque adverſis opponite robora ventis.
Non mihi vana fides: hic, quo nunc induor ipſa,
Truncus ab antiqua deſcendit origine Quercus
Quam mirata loqui primam Dodonia ſylva eſt.
Nam Brutus, cæſi genitoris regna peroſus,
(Filius infœlix, fœlix pater ille Britanni
Nominis) Epirum venit mœſtiſſimus exul.
Illic progeniem, conſanguinitate propinquam
Pyramidæ ſceptris pulſam, ſolioque paterno
Reſtituit victor bello; & pietate ſolutus
Crimine fatali eſt; nec dedignatus & ipſe eſt
Compellare virum quercino Jupiter ore,
Æneæque ſui pronepotem emittere magnum,
In ſimilem Æneæ ſortem longosque labores;
Talia namque illi dirupto cortice fertur

Fudiſſe attonito & trepidanti oracula Quercus,
Chaonia ſteterat quæ vocaliſſima ſylva.
Tros, o Sylviade, non his tibi figere ſedem
Parca dabit ſylvis, patriæque piacula cædis
Plura tibi quanquam inſonti, majoraque reſtant.
Multa obeunda mari, ſævisque pericula bellis.
Tu ſolidam obfirma mentem, perque aſpera rerum
Finde novas virtute vias; dat præmia finis.
Subſtitit Heſperiis Alcides Gadibus olim,
Nil ultra prono ſperans de ſole; ſed ultra
Tu penetrare aude, nec te vaſtiſſima veri
Terreat oceani facies; at vela memento
In Boream dare dextrorſum; tua fata Bootæ
Plauſtra vehunt; pigre, certo ſed euntia motu.
Auxiliumque feret totis tibi viribus aſtri
Urſa ſui Jove prognato. Tua dextra tyrannos
Bis ſenos Gomeritarum ſub Tartara mittet
Prætereuntis opus; quid adhuc victoria prodeſt
Tanta? triumphanti totus tibi clauditur orbis.
Totius tu mundi exul; te fata relegant
Ulterius, ſed nec trepida, nec defice; mundum
Illa dabunt alium, gremio quem condidit alto
Integrumque reſervavit per ſæcula longa
Oceanus tibi Brute, tuum qui ſemper habebit
Et genus & nomen; quicquid complectitur æther
Æneæque Brutique dedere nepotibus aſtra,
Æneæ terras omnes, maria omnia Bruti.
Talia prædicens hæc inſuper addidit ore

Quercus hians ſacro : memor eſto, atque accipe glandes
Has ait (implevit porrecto termite dextram)
Hæ tibi erunt longi ſolamina muta laboris,
Promiſſique mei teſtes; cumque ubere diti
Præbebit tua fauſta ſolum Britannia dignum,
Has ſere, in immenſas creſcent hæc ſemina ſylvas,
Et Quercus toto celebrabitur orbe Britanna;
Chaoniam fama ſuperabit filia matrem:
Tum tu Brute mihi gratum inſtaurabis honorem,
Inſtituesque patres Druidas, ſanctiſſima mundi
Nomina; Teutates habitabit Robore in omni,
Lætaque fœlicis vulgo dabit omina Viſci.
Dixerat hæc Quercus non veri vana, nec illam
Linea decepit puncto fatalis in uno:
Primaque Chaoniis crevit de glandibus arbor,
Huic Avia, ex qua nunc vobis oracula pando.
Scilicet hæc juvenis, cum primum huc Danica claſſis
Appulit, iratis Thore & Tuiſcone Deisque
Saxoniæ reliquis, bis centum circiter annos
Nata fuit; meminit, viditque ſimillima noſtris
Prodigia, heu, ſimiles nimium viſura ruinas!
Ecce, illas video! ——————
Prima Caledoniis nubes de montibus orta
Arctoos operit campos, Tuedamque quietum,
Limitis oblitum jamdudum munere fungi,
Et medium unius tantum ſe currere regni
Credentem, ſuper acta volat popularibus auris
Angliacosque agros ferali territat umbra.

Sed terrere satis primo, simulacraque Martis
(Qualia vos nuper cœlo vidistis in ipso)
Proludunt ficci; fugat hostem argenteus imber,
Ignotum genus armorum, pugnacibus olim
Parcisq; Angligenum proavis, sed prodigus emptor
Nunc pacis populus, scelerata infandaque bella
Mox pluris civilia emet: pax sanguine primo
Ipsa rubet (proh dirum omen!) fontemque recludens
Purpureum, in medio furiis operata senatu est.
Magnorum invidia vir magnus, plebis ineptæ
Integer injustis odiis, clamore disertus
Obruitur, sacer, o, multoque cruore piandus
Insonti pariter regi, sontique popello,
Principium belli damnata Vigornia fato,
Mœsta videt victrix, & multo murmure plorat
Sabrinæ lacrimisque suæ; sed & ipsa videbit
Mœstior, ah, belli (quis possit credere?) finem,
Quis nunc Kintoniæ sublimem in collibus altis
Me sistit deus? heu, qualem nunc flumine rubro
Despicio undantem vallem? quantisque tumentem
Aggeribus cædum? quas fervidus æquore toto
Rupertus cumulat strages, victorque gemiscens
Rex pius? avertant cursum nisi fata secundum;
Tantorum ista dabit finem lux una malorum:
Irati vetuere dei; victoria præceps
Corruit, atque nequit vicinam attingere metam.
Qua patet imperium tunc occupat omne Britannum
Mars immane fremens, regni pars integra nulla est.

Belerii extremis a cornibus Orcadas usque
Et vix læta quidem ſemeſtribus arva diebus,
In ſcelus exitiumque ruunt, furor omnibus idem.
Albion infœlix, quæ te fæviſſima ſerpens
Eumenidum, quænam, o, Hæmorrhois ore momordit?
Omnia membra fluunt ſtillantibus undique venis,
Tantum, tamque ingens, totum eſt pro vulnere corpus.
Ter campos infauſta tuos, Neuberria, cerno
Cladibus informes, ſuperatque horrore nefando
Sanguine bis tinctos tua triſtis fama Philippos:
Mutua damna diu, atque alternæ pondera ſtragis
Nutantem partis librant utriusque ruinam.
Terribilem primo impulſum momentaque ſæva
Eboracenſis ager dabit, & Nasbeia tandem
Mortiferum geminabit & immedicabile vulnus. (eſt)
Quod ſupereſt (namque omne nefas, ſupereſſe putandum
Cernere me prohibete Dei; quid deinde futurum
Secretum vobis, precor, integrumque tenete.
Tollite notitiam venturi; haud gloria tanti eſt
Fatidicam dici atque oracula fundere, ut iſta
Prævideam, videamque iterum. Sed ſe ingerit, ecce,
Congeries oculis non enarranda malorum,
Et deforme chaos: victor rapit impius omnia.
Rex hoſtem fugiens plebeio tectus amictu
(Tempore rex illo primum ſimulator, at ora
Agnoſco ſacrata) fugit miſerandus ad hoſtem.
Quis non hoſtilis victo locus? ille ſuorum
Implorat popularium opem (proh jura fidemque!)

Rex hoſpes, ſupplex fruſtra. Sic ſponte magiſter
Naufragus, in fluctus, quos horruit ante, minaces
Exilit ardenti & flammis crepitante carina.
At fluctus crudelis & implacabilis ira
Luctantem in flammas & fata priora rejectat.
Quid facerent? regem miles ſeu fraude retentam
Ex bello prædam, precibusque minisque repoſcit.
Regem adamare putes, nec vivere poſſe ſine illo.
Nec minus & Scoti redamant, ac reddere nolunt.
Non ita pro vili eſt; perſiſtunt; acriter urgent
Jus partemque ſuam; aut illum non Anglus habebit,
Aut emet. O nullo credendum dedecus ævo!
Ille potens Dominus terraque marique, ſub haſta
Mancipii venit captivi more, ſuumque
Servus herum abducit, ſector temerarius, emptum
Non tibi ego hoc tantum (procul abſit) Scotia crimen
Imputo; tentabis gentis virtute piare
Totius, ſcelus hoc paucorum; & ſanguine multo
Paucorum delicta lues. Vix arma quieſcunt
Affixa in domibus, longusque revertitur ordo
Civilis belli; fœdis ſubjecta tyrannis
Regia majeſtas, conſtrictaque carcere vectæ,
Quem non commoveat? juſtas commovit in iras,
Scotia, te ſero, te libertatis amatrix
Cantia, te Britonum non impar Cambria famæ:
Prælia quid referam vobis, quæ plurima cerno
Aſtrorum auſpiciis & adhuc commiſſa priorum?
Quid memorem trepidam tingentia vulnera Riblam,

Siſtentesque fuga vel curſum, fluminis ipſum
Præcipiti Scotos? quid te, Medvaga, tumentem
Cædibus? obſidiove tuam, Colceſtria, longo
Virtutem infractam, melioraque fata merentem?
Quid tot nobilium, pugnantum nobile lethum,
Captorumque necem miſeram, belloque pudendam?
Non mihi poſt tantas clades, tot vulnera ſortis,
Fas plorare quidem perituri funera regis,
Si mihi nota viri, mundo notiſſima toti,
Cœleſtis pietas, mortem inter munera ponet
Summa Dei; ſcelus humanum, facinusque tremendum
Auditu deploro, quod execrabitur ætas
Nulla ſatis, quod nulla ſatis, fœcunda dolorum,
Tartara, tormento poterunt punire perenni.
Heu quid agunt? video productum carcere Regem
Pegmate in excelſo, ſuaque ante palatia, in arce
Imperii ſumma, populo ſpectante dieque,
Carnificisque manu - - - - - - - - -
Subſtitit hic, gemitusque ima radice petitus,
In ſolido ingentes prorupit cortice rimas,
Undique dimanant lacrymæ de frondibus udis,
Quot qualesque ſolent madidæ poſt tempora noctis,
Cum capiti hærentes nebulas aurora reſolvit.
Ingemuit viridum ſimul omnis turba ſororum,
Et mœſtum infremuit, ſubitique ſonôra doloris
Tempeſtas totum quatiit nemus; inde ſequuta eſt
Sæva quies magni, mortique ſimillima, luctus:
Poſt longum tandem Dryas incipit intervallum.

Tum vero innumeris confossa Britannia telis,
Et capite abscisso, proprioque in sanguine mersa,
Non agnoscendum jacet atque informe cadaver,
Immanis sine mente, animaque & homine truncus.
Quis non post tantum mortis sperare quietem
Possit, & æternum torpenti in funere somnum?
Nil minus; ecce, loco unius tunc membra regentis,
Mille scatent viles animæ, ferventque tumultu,
(Terrai putris soboles, ignobile vulgus)
Vermiculi genus omne, acrique infecta veneno,
Serpentesque atri, & serpentum maximus, ipsas
Cromvellus rabido depascitur ore medullas.
Fœdus odor toto late diffunditur orbe.
Tum fas atque nefas versum, nec frena furoris
Impietas victrix habet, & transgressa pudorem.
Pegmata tunc passim mediis erecta plateis
Sanguine nobilium rorantia cernere ludus,
Et paria (heu tanquam spectacula præbita vulgo)
Carnifices, clarosque viros, commissa videre.
Tunc ipse hospitium factus solenne bonorum
Carcer, & ante ortum lucis, quæ ducit ad illum,
Plena via est turba; sed delassata parumper
Sævities cessare, & respirare coacta est;
Cessat avarities nunquam; sine more modoque
Insatiata furit; pugnantis sæpe libenter,
Sed proscribentis deponitur hasta gravate.
Quicquid florentum series longissima regum,
Magnifica parcaque manu congesserat olim:

Bellorum ſpolia, aut prolixæ munera pacis,
Quicquid non frugi pietas, & ſplendida cultu
Religio proavorum aris ſacraverat ipſis,
Quicquid Patricius regni poſſederat ordo,
Quotquot opum fideique rei (proh vaſta vorago!)
Terrigenis paucisque haud ſufficit omne tyrannis.
Nec ſat habent ſpoliare ædes regisque Deique,
Diruere, atque æquare ſolo gens impia gaudet;
Eſt aliqua ipſius ſcelerata libido ruinæ:
Diſcurrunt fabri, ſonat undique malleus ingens,
Undique ferramenta ſonant, & acuta bipennis.
Undique tigna vehunt lapidesque gementia plauſtra,
Ardentes inſtant operi, ſtrepitumque cientes,
Ædificare putas victores velle ſuperbos?
Diripientum ille eſt everſorumque tumultus:
Cumque hæc eveniunt, ſociæ, cum ligna parentum,
Defunctasque trabes veſtrum, longaque quiete
Compoſtas olim regum ſub turribus altis,
Exciſasque furente manu, vulſasque videtis,
Tunc ſcitote diem veſtrum, & lacrymabile fatum
Sylvarum veniſſe; trabes quæ ſæva ſepultas
Deturbat domibus, non parcet dextera vivis.
Tunc omnes late ſaltus, nemora omnia regni,
(Nobile ſeminium & plantaria claſſis & urbis,
Spem belli, & pacis certa ornamenta futuræ)
Religio quæ magna olim, nunc maximus uſu
Vivere privatæ jubet inviolata ſecuri;

Barbarus

Barbarus invadit victor, sternitque, soloque
Eruit, atque igni divendit avarus avaro.
Non generi arboreo, aut ætati parcitur ulli,
Triginta annorum infantes in limine vitæ
Dejiciunt Ulmos, Fagosque Ornosque tenellas,
Nec senium aut cani reverentia corticis obstat.
Pellitur infœlix o semper musica turba,
Ramorum hospitiis volucres pelluntur avitis,
Flebiliterque novum celebrat Philomela dolorem.
Exul Hamadryadum simul his chorus effugit omnis,
At tacito luctu (neque enim plorare sonorum,
Cœlestes decet) & lacrymis stillantibus intus.
Heu fugimus, sociæ, & toto vix orbe britanno
Securos truncos quos ingrediamur habemus.
Sed non hæc semper fera Saturnalia durant;
Immodico nunquam dat tempora longa furori
Instans a tergo Nemesis, quatiensque securim.
Vos ne despondete animos, vestri Deus ultor
Extirpabit eos radicitus & dabit igni.
Sternite nunc sylvas, nemora alta cremate, scelesti,
Non deerit vobis ex qua pendebitis arbor:
Interea (neque enim voti vestigia nostri
Fata premunt, semperve sequuntur passibus æquis)
Interea extorres patriæ crudelibus oris
Carolidæ magni per regna aliena vagantur,
Auxiliumque petunt frustra: comes hæret ubique
Sors immitis adhuc, & vix concedit asylum.

Heu quantum terris, quoties jactatus in alto,
Filius ille Pius Sancti Patris! ille labores
Lætus obit cunctos, fortemque ferendo fatigat
Infractus; perfer, juvenis venerande, labascet,
Et cedet fortuna tibi; sed tempora Parcæ
Expectanda manent, tunc quæ tua sceptra tenaci
Nulla potest hominum vis extorquere tyranno,
In dextram matura tuam atque caduca ferentur.
Quo fertur, quid agit? nondum data tessera fati,
Prosilit ille ferox, & non patienter in arma
Prodigus irrumpit vitæ, famamque lacessens,
Per clausum bruma atque inimicis classibus æquor,
Littora adhuc suspecta petit, hostilia nuper;
Vela tamen dantem reditusque in regna parantem
Carolidem trepidæ cernunt, dubioque tumultu
Eumenides turbantur Oliverianaque mundi
Numina tartarei, sacramque evertere puppim
Tempestate sua tentant, factisque procellis
Impediunt frustra, fato impellente, carinam:
Sed metuunt etiam frustra, cum Cæsar in illa
Tutus agente Deo, sed non fortuna vehatur
Cæsaris; illa manus alias, alia arma requirit,
Et vix arma quidem; frustra jam Scotia regem
Immutata suum revocat, tanti sed honoris
Gloriolam (totum neque enim meruisset) habebit.
Emittetque virum tandem plaudentibus astris,
Qui regem armatus multa cum pace reducet.
Interea (nondum, o, sociæ, nam præterit illud

Interea ſpiſſum) Sconæ venerabile fanum
Ferguſii magni plusquam centeſimus hæres
Ingreditur, veteremque capit de more coronam
Applauſu ingenti, ſed &, o, non omine fauſto,
Impoſitamque manu regni non rite ſiniſtra.
Urget atrox hoſtis, circumque ſtrepentibus armis
Inſultans furit, & turbat ſolennia victor.
Tum pulchram regi mentem, centumque parentum
Sceptrigerum ſobole dignam, indignatio juſta,
Et cædis patriæ vindicta, incenſaque virtus
Addit agens magnæ ſtimulos ſub pectore laudis.
Non hic extremo regnorum in fine pudenda
Obſidione premi, aut venturæ fidere brumæ
Auxiliis, hoſtique altos opponere montes,
Sed dare ſe totum bello, permittere habenas
Fortunis animisque ſuis, Taoque remoto
Occluſum, ad Thameſim certa vel morte parandam
Affectare viam; poſt terga relinquitur hoſtis
Attonitus, cœptique, tremens horrore ſtupendi.
Heu nihil adverſo valitura in tempore virtus!
Jamque dies venit precibus lacrimisque petita
Brutigenæ toties populi; rex agmine forti
In patriam vindex redit, & per mille labores
Mille pericla vix, Sabrinæ ad flumina victor
(Ad Thameſim mallem) penetrat: rex mavolet ipſe
Ad Thameſim, ſed conſiliis immiſta potenter
Vota vetant; age jam bellatrix Anglia, nunc, nunc,

Poscere tempus equos, capere arma, incurrere in hostem,
Nunc (siqua est pietas) tempus defendere natum,
Ulciscique patrem, & patriam relevare jacentem.
Talis erit mens una viris, idem omnibus ardor.
Hoc metuens genius regni malus, inque bonorum
Perniciem vel Cromvello vigilantior ipso
Temperat infernum sæva Tetrapharmacon arte;
Aspida somniferam gelidi immodicique pavoris,
Desidiæque opium religantis frigore nervos,
Et constringentis dextram Torpedinis instar
Virus avaritiæ; nigro de flumine Lethes
Immiscit guttas; his omnia pectora spargit,
Et pestis subit uda, veternusque occupat ingens,
Oblitum famæ populum propriæque salutis.
Non tamen hic à fortuna deserta suisque,
Hostibus innumeris circum obruta, deficit acris
Carolidæ virtus; Sabrinæ decolor unda
Testis, & haud vano jam rubri nomine colles,
Metaque fatalis longi Vigornia belli.
Post miseram late cædemque, fugamque suorum
Ultimus excedit campo, capta ultimus urbe
Atque invitus abit; mox & de colle propinquo
Respicit indignans, sparsumque recolligit agmen
Naufragio e tanto parvum; integrare labores
Ira subit, casusque omnes, tandemque nefastum
Aut reparare diem, aut mortem superaddere damnis:
Consilium laudant animosum, in utrumque parati,
Derbeiusque comes, Vilmottusque inclytus armis,

Et dux Villerius, juvenis formosus & audax,
Dulce domi sidus, violenti fulguris instar
Militiæ, tantoque Ænea dignus Achates.
Nulla mora est, vertunt ora & vestigia retro;
Nec nova spes animos, sed desperatio pulchra
Ardentes iterum infœlicia raptat in arma.
Sic rex, sic alii pauci, quos gloria mortem
Nec miseris docet esse viris, nec fortibus hostem.
Non ea vis reliquæ, nec tanta scientia turmæ,
Vocibus hortantem vanis, surdosque precantem
Deseruere ducem trepidi, totosque per agros
Præcipitem sparsere fugam: discrimine tanto
Quis te nunc juvenis frustra fortissime, quis te
Implicitum nodis, sævaque indagine sortis
Inclusum deus eripiet? siquidem omnia possit,
Hoc poterit deus, & faciet, nec tanta negabit
(Præmia martyrii) sancto miracula patri:
Non illi ætherea præpollens Carolus aula
Carolidæ imbelli commendat voce salutem.
Nunc vobis, sociæ, cur hæc secreta referre
Annorum jubear venientum, & pandere sacros
Tempora thesauros inter latitantia cœli,
His impressa tamen dudum & signata figuris.
(Quæ nec somnus adhuc, nec dia insania vatum
Nec pecudum fibræ, volucrum nec penna, nec astra
Monstravere homini) tacitis attendite nimis.
Limite in extremo qua dives spectat ad ortum
Sallopia, assurgit lucus cognomine bellus;

Nunc locus obscurus, chartisque incognitus ipsis,
Seque fruens; sed mox toto celebratior orbe
Nulla erit, aut famæ radiis illustrior umbra.
Stat prope sacra olim, fœlicis & ominis ædes
Albarum titulo dominarum; hæc unius horæ
Perfugium regi, panemque (o munera magna!)
Prima dabit lasso, primumque albescere pulli.
Hic color incipiet fati, sed non nisi postquam
Exuerit regem; hic flentes dimittit amicos
Illorum flens ipse vicem & discrimina, siccus
Immotusque suis, hic ornamenta prioris
Aurea deponit vitæ, nec tænia cruris
Cærulea, aut equitis servatur imago Georgî
Bellatrix, jam sacrum equitem superante dracone,
Longa comæ nigræ & specioſa volumina cultro
Scissa cadunt, capitique parum est cecidisse coronam.
Induiturque artus pannosa & paupere veste,
Nec personatus tantum est hoc tempore pauper.
Heu nimium istius legi rex maximus ædis
Subiicitur veteri; pompam cultumque relinquit
Mundanum, abscindit crines, assumit egeni
Squallentem miserumque habitum, valedicit amicis,
Fit monachus; mox & tectum fortuna negabit;
Fiet eremita; in sylvis se condet opacis
Solus, egens, vagus; hoc etiam fortuna negabit;
Eripiet tandem terram crudeliter ipsam,
Vix profugo sedem dabit arbor in aere tutam.
Tum vos, o, lucum (ne frustra hæc dicta putetis)

Ad bellum properate omnes; intrate ſilentes
Truncum quæque ſuum; tota ſine Numine ſylva
Stet nullum genus arboreum, ſimul ipſaque præſens
Fœlicem ingrediar, nemoris quæ maxima, Quercum,
Hic agite excubias noctemque diemque fideles,
Proſpicite in totos erecto vertice campos,
Vicinasque vias, miles forte impius iſtuc
Ne veniat venatum homines, rapiatque profanus
Depoſitum cœli ſacrum, quod numina noſtræ
Committunt fidei, & tutum integrumque repoſcent.
Multa virum, atque oculis impervia protegat umbra;
Hic igitur juſſæ regem expectate, ſorores,
Jamque aderit, jam nunc horæ fatalis ad aures
Pervenit ſonus; interea quis ruſticus iſte eſt?
Vel quid humi recubat, noſtraque ſub arbore ſolus?
Num latro aut ſpeculator adeſt? nam quis niſi talis
Sub Jove tam ſævo ventum perpeſſus & imbrem
Duraret? vultum, precor, o, habitumque notemus,
Et quid agat; ſordent crines & ſcortea veſtis;
Mœſtitiæ multa in vultu, ſed plura laboris
Immodici videor veſtigia inuſta videre,
Credo equidem & facies aliqua fuligine tincta eſt.
Sed tamen hæc inter (vos acrem intendite viſum)
Sacrum neſcio quid, non enarrabile quiddam
Luminis arcani ſcintillat, jamque tuenti
Clarius aſſurgit; num me mea lumina Divam
Fallunt fatidicam? niſi fallunt, ruſticus iſte,
Ruſticus iſte miſer (proh cœlum & numina!) rex eſt

Jam certe rex eſt; divina apparet imago,
Expugnatque leves tenebras & nubila vana.
Salve magna Deum —— ſed quis venit importunus?
Dii regem ſervate, aliquis venit; o bene factum!
Reſpiciunt humana Dei, nec proditor iſte,
Sed fidus fortisque vir eſt; Carleſius iſte eſt
Naufragio in noſtras umbras ejectus eodem:
O fœlix, o Cromvello fœlicior ipſo
Quem mala ſors tanto victum dignatur honore!
Iſte refert agros compleri milite totos,
Perque domos omnes, perque omnes quærere ſylvas
Addictum precio ſacrum caput, & prope adeſſe,
Jam prope adeſſe hoſtes; quid agant? diſcrimine ab ipſo
Conſilium rapidum ſed non ſine numine ſumunt.
Conſcendunt noſtram, nemoris quæ maxima, quercum,
Ipſa ego ſcandenti ramos inclino volentes
Et ſolium regi compono molliter aptum,
Lautaque contexo denſæ Conopea frondis;
Et caput auguſtum ſupra jubeo ipſa repente
Gemmiferum (fœlix omen) prorumpere viſcum.
Hic nos incolumen fatis ſub tegmine noſtro
Rite ſalutemus ſubmiſſo vertice regem,
Tota illum tacite ſylva & reverenter adoret.
Salve magna Deûm cura, & nunc maxime regum;
Nec te plorantem, nec te rationis egentem
Horrida tantorum circumſtat turba malorum,
Ille potens vere eſt, potuit qui tempore tali
Nec timuiſſe necem, nec deſperaſſe ſalutem.

Hoc opus est animi summum regalis; ademit
Si regnum fortuna tibi, justissimus ultor
Fortunæ tu regnum adimis, victusque triumphas
Par superi tantum gaudent committere, sed te
Donabunt rude; nec longe pulcherrimus ille
Annus abest; procedet, Io, procedet Olympo
Pacatum irradians astris fœlicibus orbem.
Stellaque lucentem ducit fortissima pompam
Quæ tibi ter denis annorum cursibus ante
Natalem candore sacro signaverat horam.
Ausa die medio sustollere lampada noctis,
Ausa die medio toti se opponere Phœbo,
Atque novum insolito portendere lumine lumen.
Nunc iterum cœlos, nunc prodigialiter ornans
Surge die medio, bona stella, renascitur, ecce,
Carolus ille tuus! nunc demum est editus ille
Vitalem in vitam, jucundasque ætheris auras.
Ecce laborantem manus ut fortissima Monchi
Educit placide in lucem, nexusque resolvit
Obstetrixque tibi est! generose renascere Princeps
Majus adest pulchro fatis tibi debitus ore,
Natalisque tuus; Generose renascere Princeps,
O lætum nitidumque diem! pacisque triumphum
Victricis! cum tu, fortunatissime Regum
Magnorum medius fratrum, & splendente caterva
Stipatus procerum, Londinum invectus ovanti
Aureus ibis equo! mundum coiisse putares
Visendi studio; foliorum turba virentum

Non est in sylva magis innumerabilis ista.
Omnibus una venit primo, mox omnibus una
Vivat Io, vox est; plausumque sonoraque tanti
Gaudia crediderim populi trans æquora ferri
Turbine ventoso, & gentes terrere remotas.
Insanire juvat; permittite stoica turba,
Finiat ut brevis hæc, hilarisque insania tandem
Viginti annorum miseros, tristesque furores,
Nec patitur tali noctem succedere luci;
Tota simul festis exardens insula flammis,
Insula tota ardet, lucent maria omnia circum.
Quid referam ludos vulgi, cantusque dapesque
Et risum & fletum? nam dulces fundit & albas
Lætitia infrænis lacrymas; quid vina per omnes
Currere aquæductus? nimirum flumina & ipsa
Fundere deberent (ætas venit aurea) vinum.
Aurati veniunt menses, & lucidus ordo
Sœclorum; pax, ecce, poli de parte serena,
Nubila discutiens, pax longa revertitur exul,
Albionemque albis plaudens amplectitur alis.
Nec redit incomitata, pudor redit & bona fama,
Copiaque, & cultum pietas induta decentem,
Atque Astræa diu terras exosa Britannas,
Ingeniumque, artesque, & formosissima rerum
Libertas, sub Rege viget quæ maxima justo.
Cumque his, non minus ipsa bonum, tu regia Mater
Post longum exilium, in patria (quis credat?) acerbum,
Magna Maria redis, tibi dilexisse maritum

Crimen erat, partemque piam ſubiiſſe laborum;
Nunc vindictam Illi Deus, & Tibi præmia ſolvit.
Salve fœminei decus, o, ſexusque virilis
Regina opprobium! quam ſorte in utraque decenter
Lætamque, triſtemque, ſuique in utraque potentem
Cernimus, invidiamque Deis de conjuge ſolo
Conflantem lacrymis, rota quam circumſonat orbis
Immotam, & centro fixam virtutis in ipſo.
Protinus adiicies animum, juſtiſſime Princeps,
Ad verum regnantis opus; tot vulnera belli
Et certa, & leni componere hiantia dextra,
Paulatimque cicatrices abolere vel ipſas.
Reddere vim legi, majeſtatemque priorem,
Tergere corruptos ſcabra rubigine mores.
Antiquam revocare fidem, & vetus illud honeſtum
Nominis Angliaci; talis cura occupat horti
Squallentis reducem dominum; ſenta omnia viſu
Horridaque offendit; ſed luxuriantia cauta
Falce premit, dejecta levat, religatque ſoluta,
Multa ſerit, multa extirpat, novat omnia cultu,
Immenſum ſed dulce opus eſt, omnemque coloni
Paulatim recreat creſcente decore laborem.
Nempe tui Rex magne horti ſunt oppida & urbes,
His culturam adhibes formoſam, atque ordine bello
Singula diſponis, ſed & hæc quoque reſpicis inter
Nonnullis ſylvas oculis; ſuccurris earum
Acciſis inopum rebus, populataque regna
Arboreæ gentis ſuffecta pube novella

Integras augesque, futurum extendis in ævum
Imperium sylvestre, tuisque beata jacebit
(Optime protector) pronepotum turba sub umbris.
Hi tibi debebunt æstivaque frigora læti
Brumalesque focos; debebunt fixa domorum
Tecta, domosque vagas, nemorosa palatia ponti.
Forsan abhinc annos tercentum aut mille futuræ
Fundamenta jacis jam nunc & classis & urbis,
Ingentesque metes præsens hic ipse triumphos,
Ingentesque feres a posteritate metendos.
Ipse viam primus findens qua gloria clivo
Prærupto consurgit ad altæ lucida famæ
Templa tuos duces, exemptos nocte, Britannos.
Ipse dabis ponto moremque ac jura frementi,
Ipse indignantem claudes, humilemque recludes,
Tu Dominus mundi & Neptunus habeberis udi,
Et tibi erunt tria regna Tridens.
Quis furor, o Batavi, velle extorquere Britannis
Quod natura dedit sceptrum maris? illa coronat
Fluctibus, atque alias terras ex parte salutans
Dilectam Albionem complectitur Amphitrite.
Vix insultantem oceanum graviterque prementem
Obsidione urbes ac mœnia vestra perenni
Aggeribus factis tumulisque arcere valetis;
Et tamen audetis (spes ambitionis inepta!)
Imperium pelagi vobis promittere totum,
Oceanique undis imponere regna paludum.

Non hoc Carolidum patietur vivida virtus,
Sed nec ego hoc patiar Britonum invictiſſima Quercus.
Ecce minax Batavum vacuo volat æquore claſſis
Atque abſente canit tanquam victo hoſte triumphum:
Ille diu haud aberit, nec tu lætabere longum
Belga ferox, ſeris natalia non ſine votis
Littora reſpicies; primi rumoris ad auram
Prodigus ille animæ & laudis ſolius avarus
Impatiensque redit ductor Jacobus in altum,
Quo tu more fugam præceps poſt bella capeſſes.
Jamque procul Batavum conſpecta claſſe Britanni
Clamorem ingentem tollunt, qualem edere mos eſt
Poſt longam extremis reduces trieterida Sinis,
Cum patriæ rupes & candida ſaxa ſalutant.
Primam aciem ducit ventoque Deoque favente
Et virtute diu celebri terraque marique,
Cornuaque obtundit Batavæ navalia lunæ
Rupertus, flammante viam ſibi limite ſcindens.
Protinus obvertit medium trepidantibus agmen
Carolide in ſumma nudo ſtans arduus enſe
Jacobus, ductorque ducem in certamina quærit;
Nec ſævum Opdamus detrectat fortis honorem,
Regiaque hinc, illinc prætoria puppis utrique
Non ſegnes horrenda parant ſpectacula claſſi;
Quonam Opdami ruis? non hæc temeraria virtus
Grata Deo; non eſt: tantone ſub hoſte perire
Ambitio eſt? tantæne placet tibi gloria mortis?
Tu dextra majore cades; Deus ipſe ruentem

In ſcelus hoc feriet; tam digno vindice nodo
Intererit Deus ipſe, ſui defenſor ubique
Carolidæ præſens, & rupti fœderis ultor.
Ingens illa ratis, centum ærea fulmina portans.
Sexcentosque vehens, intacta hoſtilibus armis,
Diſſilit immani in nubes immiſſa fragore
Fumosque flammasque vomens, ſemuſtaque ſparſæ
Fragmina compagis, laceratæque membra virorum;
Seu Deus in miſeros non fictum fulmen adegit
(Credibile eſt, & pax toties violata fidesque
Et ſcelus Amboynæ meruere piacula tanta)
Seu pyrius pulvis fortuito accenſus ab igne
Erupit violens; directus numine caſus
Ipſe Dei telum eſt; natat igneum in æquore vaſto
Naufragium late, miſeranda ruina vel hoſti
Terribilisque pio; ſed adhuc miſereſcere multum
Non vacat; horrendo jam cuncta utrimque tumultu
Miſcentur confuſa, legitque carina carinam.
Et nihil Opdami ſacra conterrita clade
Victorem aggreditur Jacobum Aurantia puppis,
Audax ante alias & fulmine digna ſecundo
Ni virtus illam ſibi poſceret Anglica vindex:
Ignibus humanis ſtridentem devorat æquor,
Exurit tres Fama rates, cognomine Diva
Non memoranda parum, tres & Delphinus adortus
Sulphureo nimbo flammisque furentibus haurit;
Urbem ardere putes noctis per tempora captam,
Tot diverſa ſimul findunt incendia paſſim

Nubila fumorum bombardarumque tenebras.
Undarum in regno quis tanta licere putaret
Ignibus? & certe merito latet unda pudore.
Illam operit ſtrages diſperſæ vaſta ruinæ
Antennæ, malique, forique, avulſaque roſtra,
Et tabulæ, funesque & vela, & apluſtria, & arma,
Et temere jactata cadavera mille virorum
Seminecesque viri, & ſiqua patet area ponti;
Purpurei apparent tractus & cærula celant.
Longa mora eſt, merſasque rates, captasque referre,
Et quæ multa dabit varii diſcrimina fati
Una dies; monſtrata modis ſollertia multis,
Ingeniumque & pœne poetica copia caſus
Queis ſervare aliquos & multos perdere gaudet,
Queis ſævit parcitque modis: dant nobile mundo
Exemplum (exſuperant vulgi numerumque fidemque
Funera) tres meritis juvenis & ſanguine clari,
Momentoque uno, plumbique volatilis uno
Dilacerati ictu; tres unum pœne cadaver,
Tergeminique eadem fratres in morte jacentes.
Quis non, o fera ſors! quis non, o barbara! dicet?
Illa benigna tamen ſimul eſt; nam proximus illis
(Horreſco referens & tam vicina periclo
Gaudia me turbant) en ductor regius ipſe
Fulguris afflatus pyrii ſtridentibus auris,
Sanguine reſperſus morientum, vulnere nullo
Libatur nulloque metu; premit acrior hoſtem,
Ardeſcens iraque nova ingentique dolore.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0419
DFG

Nec ſuperaccenſam juſtis jam ſuſtinet ultra
Virtutem Angliacam furiis, quanquam inclyta virtus
Belgica, tot damnis infracta atque impare cauſa.
Diffugiunt fævi palantes æquore toto
Reliquiæ belli laceræ; tandem oſtia victis
Mœſta aperit, noſtrosque videns poſt terga ruentes
Attonitus tremit, & ſubmittit cornua Rhenus.
Sic cecinit ſacro Dryas irritata furore,
Multaque venturæ ſiluit miracula laudis,
Sed poſt me genitis Dii tanta trophæa reſervant,
Et celebranda dabunt melioribus illa poetis.

Finis libri ſexti et ultimi.


Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn833260677/phys_0422
DFG

Gebunden
bei
L. A. GARBE
Rostock
Breite-Str. 25.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833260677/phys_0423
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn833260677/phys_0424
DFG

omnes; intrate ſilentes
n; tota ſine Numine ſylv
oreum, ſimul ipſaque præſens
moris quæ maxima, Quercum,
ſtemque diemque fideles,
cto vertice campos,
forte impius iſtuc
mines, rapiatque profanus
n, quod numina noſtræ
utum integrumque repoſcent.
ulis impervia protegat umbra;
expectate, ſorores,
unc horæ fatalis ad aures
a quis ruſticus iſte eſt?
t, noſtraque ſub arbore ſolus?
tor adeſt? nam quis niſi talis
ntum perpeſſus & imbrem
cor, o, habitumque notemus,
crines & ſcortea veſtis;
ltu, ſed plura laboris
gia inuſta videre,
es aliqua fuligine tincta eſt.
(vos acrem intendite viſum)
non enarrabile quiddam
lat, jamque tuenti
me mea lumina Divam
ſi fallunt, ruſticus iſte,
roh cœlum & numina!) rex eſt